

V c
3/59^a





h. 29, 13.

De vita, gestis atq; obitu

CHRISTIANI II.

SAXONIÆ, IVLIÆ, CLIVIÆ, AC
MONTIUM DUCIS, SACRIQUE ROM.
Imperij Archimarschalli & Electoris, Land-
gravij Thuringiæ, Marchionis Misniæ, Burggravij
Magdeburgensis, Comitum Marchiæ & Ravensburgi,
Domini in Ravenstein, &c. piæ ac felicis
recordationis,

NARRATIO,

cum voto

*Pro incolumitate Illustrissimi ac Celsissimi Prin-
cipis ac Domini, Dom. JOHANNIS GEORGII, Ducis
ac Electoris Saxonie, gubernationem harum terra-
rum feliciter adeuntis suscepto,*

à

M. PAULO JENISIO AULÆ
Electoralis Saxonice Ecclesie.

Editio altera priore accuratior.

L I P S I Æ,

Cum privilegio Electorali.

Valentin Am Ende excudebat.

Sumtibus Johannis Börneri & Eliæ Rehfeld.

ANNO M. DC. XII.

V c

3159a

15





Illustrissimo Principi ac Domino,

DOMINO

AUGUSTO,

SAXONIÆ, IVLIÆ, CLIVIÆ AC
MONTIUM DUCI, LANDGRAVIO
Thuringiæ, ac Marchioni Misniæ, Do-
mino suo clementissimo:


Salutem & felicitatem in CHRISTO IESU
perpetuam precatur:



*N*nus propè decimus septimus agi-
tur AUGUSTE Princeps Inclyte
ac Illustrissime, cum de CHRISTI-
ANI I. Electoris Saxonie, paren-
tis laudatissimi vita, gestis ac bea-
to exitu à magni nominis Theologo brevis at ner-
vosa narratio Germanico Idiomate conscripta, in
plurimorum usum Dresdæ divulgata est. Ea cum
Inclyte aule jussu latinitate à me donata typisq;
subjecta sit: minimè contra officium fecisse vi-
deor, quòd presentem quoq; de CHRISTIANI
II. Electoris vita dièξodov pio studio contextam ju-
ris publici faciendam putavi, presertim cum piè
defuncto Principi in annum octavum concionibus

)?(2

habendis



D E D I C A T I O.

*habendis operam impenderim, eiusq̄ mores, ingenium, omnemq̄ vivendi rationem nonnullâ ex parte cognitam habuerim atq̄ exploratam. Quo nomine celsitati ipsius placuit, ut post beatam POLYCARPI LYSERI, at quanti viri? ἀτάλυσιν αὐ-
 lici ministerij Senior, indignus quamvis, constituerer. Accedit huc, quòd cùm ampla homiliarum seges à beato ipsius obitu multis locis suppullularet, quibus multa de Principe & variè commemorantur; indignum videbatur, eum postremas ferre, qui plurimarum rerum ἀυτόπης καὶ ἀυτίκοος fuisse cum venerandis quondam collegis deq̄ JESU CHRISTI Ecclesia præclarè meritis POLYCARPO LYSERO & CUNRADO BLATA. Spero itaq̄ Tuam Celsit. ubi tenue hoc scriptum perlegerit, non tam quid ipsâ re præstiterim, quàm quo jure quove affectu id laboris susceperim, ingenuè secum estimaturam. Sunt in medio Narrationes de MAURICIO, AUGUSTO, CHRISTIANO I. laudatissimis majoribus Tuis luculenter conscriptæ, iis, qui Origines Saxonicas contexunt, ad primè utiles ac propemodum necessaria. His jam aggregandus venit tenui filo contextus liber iste, in celsissimi quondam herois CHRISTIANI II. laudem ac gloriam, JOHANNIS verò GEORGII Electoris,*

Domini




Domini mei clementissimi, qui nunc rerum potitur, decus ac ornamentum baud minimum cessurus: quo de Principe tanta apud bonos cordatosq; omnes expectatio est, ut minimè dubitent, futurum certò esse, ut amplissima ditioes ipsaq; etiam aula sub ipsius Imperio respiret suaviter, ac felicissime reflorescat. Fateor equidem, libri editionem Superiorum permissu suscipiendam fuisse: Idq; omnino facere constitueram. Verùm quia ad scriptum istud adornandum seriùs paulò accesseram: nec suprema, quod dicitur, manus antè Electoris Serenissimi profectioem imponi, nec aula illustris iudicio ac censura subijci potuit. Idq; in causa fuit, quòd pauca admodum exempla typis descripta fuerunt. At nunc postquam per Magnatum quorundam manus liber divagatus est, qui etiam de nonnullis monuerunt, iterata editione nitidior iam prodit, atq; ut spero, emendatior. Nec verò est, quòd Illustris Celsit, Tua miretur, quòd edicta Principis hinc inde Narrationi intexta sunt. Quanquam enim ad civilem administrationem naturà suà pertinere videantur: tamen quia divinis sanctionibus ipsa quoque nituntur, simulq; pietatem, cum morum honestate, subiectorum animis, altiùs paulò infigunt, ac

D E D I C A T I O.

præterea de Principis animo in Deum ac homines publicè cōtestantur, haudquaquam fuerunt præmittenda. Arcana inserere nolui, quod à vulgi cognitione jure semota ea esse oporteat. Neq̄ tamen in arcanis habenda duco, quæ per multorum ora serpunt, inq̄ Principum decus ac gloriam vergunt faciuntque ad proximi exædificationem, ac commodum: Cujusmodi quædam hinc inde scripto huic intexta videt Lector benevolus: quem rogo, ut sicubi vel stylus vacillat, vel Narratio cessitat, vel judicium nōnihil aberrat, ingenuitatis ac candoris salem adspargat potius, quàm insectandum calidè atq̄ ignominiosè putet authorem. Non inficior, minuta alicubi ac tenuia narrari: veruntamen in horum cognitione si minus compendij atq̄ utilitatis: tamen sobriæ jucunditatis aliquid inesse rectè judicanti apparebit.

Tuæ verò Celsitatis, InclYTE atq̄ Illustrissime Princeps auguste, sub nomine lucubrationem hæc in publicum exire volui, quò adversus virulentos morsus (ut multi hodiè sunt εἰς τὸ ὕδρον τοῦ θεοῦ ἀπὸ τοῦ δὲ ἀμαρτανόντες ἢ γνώσκουσι) muniatur, tuisq̄ potissimum auspicijs liber in exterorum manus, qui Germanica non intelligunt, & de Principibus tamen Germaniæ judiciū ferre minimè verentur, perveniat

adeo-



DEDICATIO.

adeòq; jucundior ipsis reddatur & amabilior. Id
unum si assequor, plurimum me Celsit. Tuæ debere,
cui alioqui multa debeo, meq; ad perpetuam me-
moris animi gratitudinem quibusvis officijs hu-
milimè declarandam obstrictum, teneri profi-
tebor. Vale, Princeps Illustrissime. Pridie
Calend. Decembris, quo Celsissimus Dux Elector
JOHANNES GEORGIUS, Dominus meus Cle-
mentissimus, recepto à Subditis fidelitatis jura-
mento, cobonestatoq; plurimum honoratissima
atq; Illustrissima presentia sua Electorum con-
ventu Dresdam feliciter redijt: Cui DEUS pro-
pitius jucunda ac felicia pro clementissima sua
voluntate cumulatè omnia largiatur. Idem con-
cedat benignè, ut Celsit. Tuacum lectissima sum-
moq; loco nata Principe ELISABETHA, Brun-
swicensi ac Lunaburgensi Duce, matrimonio Cel-
sit. Tuæ jamjam jungendâ in plurimos annos vi-
vat, floreat, optatisq; rerum fruatur successibus.
Anno M. D. C. XI. Dresde.

Tuæ Celsit.

Subjectissimus

Paulus Ienifius M. aulae
Elect. Saxon. Eccle-
siastes.



De immaturo ac beato obitu serenissimi
Principis ac Domini,

Dn. CHRISTIANI II.

*Ducis Saxoniae Electoris, &c. pia & felix
memoria.*

Epigramma.



Saxoniae Elector, Dux inclytus ille secundus,
Qui benè de CHRISTI nomine nomen habet,
Imperij columen, custos pietatis a vitæ,
Et Themidos vindex optimus, occubuit.
Proh dolor; occubuit: lachrymas effundere justas

Jam decet, & tales fundere quemq; preces:
Parce tuo populo, DEUS Optime, Maxime, parce,
Arce, quod nobis imminet, omne malum.
Nostrum Electorem JAN-GEORGUM protege; ab omni
Saxonicamq; domum quæso tuere malo.
Sic semper nomenq; tuum, laudesq; manebunt,
Et tua posteritas sic benefacta canet.

*M. Iohannes Schreckenfuchsius. Aulae &
Ecclesiae Coldicensis Concionator &
pastor.*



DE



DE CHRISTIANO II. ELECTORE,

Narratio :

C Inesiam quendam, genere Atticum, moribus ac vitæ institutione barbaris immatiorem fuisse accepimus, qui festos dies populo contrarios celebravit, ita omnium voluntatibus prodigiôsè ac improbè semper adversatus, ut vel solus ex infinita propemodum multitudine reperiretur, qui cum per Atticam urbem plausu omnia perstreperent, ipse aut domi abditus latèret, aut mutata veste in publicum atratus prodiret: Sin verò tristi casu consternata civitas funestis actionibus occuparetur, in jocos ille ac hilaritatem effusus immodicè ac muliebriter prorsus exultaret. Mirarer, tantam in animum hominis vesaniam, in eà præsertim Republicâ, cadere potuisse, quæ & legibus optimis constituta, & à summis viris ita administrata fuit, ut Græciam omnem splendore suo illustravit, ac famæ celebritate, non tam armis quàm sapientiæ opinione acquisita totum penè orbem compleverit: nisi tantam in quorundam animis duritiem, tantam rigiditatem esse constaret, ut in laudis parte non minimâ ponant, si affectibus nuncium misisse, aliorumq; miserijs minùs commoveri animis videantur. Qui quo spiritu acti eò demencia prolabantur, gravissimus author Synesius egregiè videtur

A

divinasse,

divinasse, cum *Ἐωχία*, inquit, *Φαύλων* τῶν δαιμόνων, συμφορὰς τῶν ἀνθρώπων. Cum enim in spiritus malignos, qui à rerum opifice horribili audaciâ desciverunt, omnes vitiorum, improbitatis, scelerum, fraudis, atque κακότητος sordes velut in gurgitem confluerint: Tum imprimis turpissimum omniumq; detestatione dignissimum τῆς ἁπλοῦς κακίας crimen proprium ipsis est atq; perpetuum. Cujus teterrimi vitij ne quis credentes arcesseret, optimè videtur salutis nostræ vindex prospexisse, dum ex aliorum calamitatibus dolorem capere, vicissimq; rebus ipsorum secundis ingenuè nos delectari voluit: Gaudete, inquit Apostolus, cum gaudentibus, & flete cum flentibus (Rom. 12.) Et rursus: Induimini, ut electi Dei, sancti & dilecti, visceribus miserationum, benignitate, modestiâ, mansuetudine, lenitate (Coloss. 3.) Certè qui id facere aut non possunt, aut ob animi rigorem negant posse, y se non Christi germanam sobolem, sed Caucasî saxis procreatos belvisq; immaniores esse profitentur; Contra verò omni humanitatis sensu præditi videntur, quos ita aliorum miseriæ commovent, ut, quasi domi natae, non aliunde acceptæ sint, ita in squalore jaceant, animisq; plurimum contristantur.

Cum itaq; intelligerem, in luctu acerbo, qui ob præmaturum, Illustrissimi Principis Septemviri, Christiani II. obitum, multorum animos mortifero quodam telo confixit, non modò suspiria duci, ex imo cordium recessu hausta, sed & voces audiri plenas desiderij atq; amoris ingenui erga optimum Principem, cujus incolumitas quotidianis multorum precibus prius expetebatur: Parùm me decere existimavi, si non obitu illius, ob quem tot provincie in squalore sunt, animo tristarer, & quamvis signa luctûs in me alia non extarent, menti tamen infixum vulnus assiduè mecum circumferrem. Idq; planum ui

fieri et



fieret (quandoquidem hominis animo nihil magis reconditum) presentem Narrationem contexui, quòd iniquum videretur, laudum praconia, quae demortuo Principi debentur, unius provinciae ambitu clausa teneri, nec per plurium aures, sparsa disseminari. Fateor equidem, Inclytum Heroem meo praconio minimè egere: Nec nescius sum, quàm multos fore, qui patria illud lumen plenius ac nitidius scriptis suis ornaturi sunt. Veruntamen cum tantum piè defuncto Principi gratitudinis, studij, atq; humilima subjectionis ob virtutem ipsius me debere arbitrer, quantum alij officijs, quae sola spectant, debere se ei existimant: minimè defugiendum putavi, quin illud facerem, quòd me animi observantia, ac subjectissimae voluntatis studium, perduxit.

Ut igitur hinc ordiar, Natus est Princeps anno supra sesquimillesimum octogesimo tertio, IX. Calend. Octob. cum anno superiore proximo Comitia à Rudolpho Imperatore Augusta indicta, anniq; computus exempto à III. Non. Octob. decendio in plurimis Europae locis promulgatus fuisset. Patrem habuit CHRISTIANUM Primum, Augusti Electoris, ex Anna, Christiani III. Daniae ac Norvegiae Regis filia, unicum, eundemq; amplissimorum Ducatum legitimum heredem, Principem pium, sapientem, magnanimum, planèq; quod eventus docuit, ad summa natum: Matre editus est Sophia Brandeburgica, Johannis Georgij Electoris filia, quae etiamnum aetate, virtute, dignitate ac opibus floret Coldicij, Princeps omni matronali laude amplissimè cumulata. Referunt qui Augusto Electori à ministerijs fuerunt, nihil optimo Principi ad caniciem tendenti in humanis rebus, ijs praesertim, quae in bonis habentur, jucundius aut amabilius accidere potuisse, quàm quòd nepote masculino, divina sic disponente gratia, fuisset adauctus: Nec

dubium est, sapientissimum Principem id quod aetatis reliquum fuit, suavius ex eo tempore traduxisse ac maiore tranquillitate natura exolvuisse debitum. Exultat enim gaudio Pater iusti, & qui sapientem genuit, iactabitur in eo, inquit vir sapiens, Proverb. 23. A quo haud multum evariat, quod apud Siracidem, sectione tricesima expressum legitur: Si quis bene educatum filium habeat, gaudium ingens amicis afferatur: Cum moritur Pater eius, perinde est, atque si mortuus non esset: Nam sui similem post se relinquit: Cum viveret, in puero hoc iucunditatem habebat & gaudium: cum moriebatur, non erat, quod curâ torqueretur: Nam post se relinquit munitionem adversus inimicos suos, & qui vicissim amicis possit inservire. Et scitum est illud Graeci Poëta, πατρί δὲ μεγίστων λιβέων δὲν ὄψεις εἶσιν. Auxit letitiam in Principe a vo hoc, quod & alterum ex eodem heroe nepotem JOHANNEM GEORGIUM, qui nunc rerum potitur, procreatum cerneret: Quod beneficium memori mente agnoscere atque ad authorem suum referre (quod pius Elector liberaliter praestitit) haud profecto minima sapientia est, scripturâ attestante, in qua Regius Psalter, Tua, inquit, sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi (1. Paralipom. 29.) Et rursus: Quoniam sci vi, quòd aliter non possem esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum sapientia erat scire, cuius esset hoc donum, adii Dominum, & deprecatus sum illum (& quæ sequuntur) Atq; hoc est, quòd idem ille magnæ pietatis Princeps utrumque nepotem salutaribus aquis tempestivè adspergi voluit, ut à peccati inquinamento mundati, Deo nascerentur, eiq; puris mentibus in perpetuum adhererent.

Ad literas ineunte septimo aetatis anno maturè adhibi-

tus

*tus haud infeliciter progredi cœpit, cùm Præceptorum amans
 esset, eorumq; monita facile in animum admitteret suum. Rectè
 enim Fabius, Viva vox, inquit, pleniùs alit, præcipuè que
 ejus præceptoris, quem pueri, si modò rectè instituti
 sint, & amant & verentur. Ingenio fuit acri atque excitato,
 Idq; ex eo apparet, quòd quæ à Magistris traderentur, facile ar-
 riperet, firmiter teneret ac promptè redderet: Cùmq; ad Naturæ
 & Quædam, quam hereditario à parentibus acceperat, virtutis ac
 disciplina sanctioris amor accederet, facile in spem optimam,
 puer adhuc multos erexit, ut nil nisi honestum, elegans, magni-
 ficum, tantisq; natalibus dignum de ipso expectarent. Nam ut
 fructum copiosè arbor fundit, è qua flos prius emi-
 cuit: Sic maturâ ætate virtutis decus expectandum ab
 eo, cujus prima ætas præceptis salutaribus gubernata
 est. Scitum illud Philosophi, *Disciplina σωφροσύνης τῆς ἀμα-
 θίας ἀπαλλάττειν, καὶ κακίας ἀπίστεως ἐκκαθαρίζειν*, Ejusmo-
 di moderatio disciplina est, quæ & imperitiam tollit, &
 vitiositatem omnem expurgat. Caterùm à pietatis Chri-
 stianæ capitibus, quæ Catecheticis libris continentur, illustris
 institutionis ducta fuerant primordia: In confesso enim est, Dei
 amorem, quo nihil homini salubrius, nihil ad rectè vivendum
 conducibilius est, hac ipsâ capitum præcipuorum cognitione ac
 cogitatione crebrâ plurimùm vegetari. Eam verò ad rem Dei
 cum primis auxilio opus esse intelligens, precibus illud religiosè
 impetravit. Perinde enim ut solem sole ipso adjuti cerni-
 mus, & lucis adspèctum luci debemus, sic Deum Deo
 adjuti quærimus, & lucem ope luminis; Et rectè Hila-
 rius, A Deo discendum, inquit, quod de Deo intelligen-
 dum sit: neque enim nisi se authore Deus cognoscitur.
 Vidit præterea Princeps hoc fundamento posito facile superstrui*

cætera, inq̄ totius vitæ moderatione lucem dari ac succendi præviã, qua hominis gressus dirigantur, ne vacillent, inq̄ vitiorum laqueos, quos humani generis hostis ubivis locorum tendit, temerè adigantur: Ex quo etiam Scriptura rectè asserit, Initium sapientiæ timorem Domini esse: quod acroama Princeps noster, dum vixit, Symboli loco habuit, crebrisq̄, ut multi norunt, usurpavit sermonibus.

Degustatus pietatis Christianæ initijs ad Latinæ lingvæ cognitionem paulatim perductus est. Qua in re laudanda præceptorum industria, qui cum præceptis, quæ emendatè loquendi rationem monstrant, usum simul conjunxerunt, ut eodem tempore ac labore pari scribendi juxta loquendiq̄ facultatem acquireret. Ac vidi ipse, curæ anno nonagesimo tertio supra sesquimillesimum, biennio scilicet à Parentis obitu, in D^æ. Anna monte, ubi per mensem ferè Princeps morabatur, pensum diurnum interrogatiunculis ac responsionibus inclusum latinè redderet, subjunctis è vestigio Germanicis: quod posterius cum minùs probaretur, paulò post mutatum est, ita, ut latinis duntaxat proferendis adsvesceret illustris animus, rejectâ lingvâ vernaculâ ad quotidiani sermonis usum. Certè quorum institutioni Principes pueri committuntur, prudenter agunt, si Grammatices præcepta parcè & quantum necessitas exigit, eis instillent, ad latinè verò loquendum duces se ipsis studio indefesso præbeant, ut usu magis quàm præceptionum multitudine Latini sermonis facultatem adipiscantur. Neque enim studijs diu immorantur Principes, cumq̄ ad alia festinent, quæ jucundiora putant, facile tedium obrepit, si Regulis, earumq̄ cum limitationibus, tum variationibus cognoscendis aliquot annorum spacijs fatigentur. Quin præceptionum paucitatem lectio crebra subleuet, quòdque Regulis comprehendi nequit, assidua

ac inde-


ac indefessa tam loquendo quam scribendo suppleat exercitatio. Ubi tamen silentio pretereundum non est, pueros Principes sic ubi loquendo allucinentur, monendos esse, ubi & quibus modis peccarint: ut vel ex errore ad veri rectiq; cognitionem ducantur, usumq; Regularum paulatim addiscant. Atq; hanc rationem y servarunt, quos inclyta pueritia informatores Princeps nactus est, frustra instantibus imperitioribus, ut ex nudis Grammaticæ præceptiunculis, ac nescio quibus nomenclaturis loquendi rationem hauriret. Præfuit Institutioni Sebastianus Leonhardus, artium & linguarum cognitione celebris, qui ut majore cum fide, tum alacritate in delegato munere versaretur, uberioresq; in illustri animo velut arvo fertili progressus pangeret, ad clarissimorum quorundam, quos aula habuit, virorum consilia omnem docendi rationem instituere jussus est. Prodiit sub id temporis, vivente adhuc & adprobante laudatissimo Electore Patre, perelegans liber, latino Germanicòq; Idiomate Dresdæ recusus, anno 1590. è quo Princeps vitæ laudabiliter instituendæ rationem addisceret: Adjecta est Christiani hominis Institutio per Adrianum Barlandum digesta, cum Alphonsi Aragoniæ Regis apophthegmatis, ex Antonij Panormitiæ Libris haud absq; judicio collectis, qui liber cum latini sermonis facultatem, tum virtutis omnisq; honesti officij amorem Principi conciliaret, præsertim cum sic concinnatus factusq; esset, ut Latinis Germanica ex adverso responderent, ipsiq; vitæ & morum Magistri, si quando in scribendo exercendus Princeps esset, ad scripti illius rationem Themata ad elaborandum proposita ut plurimum accommodarent, nihil quotidiano sermone usurpantes, nisi quæd piæ, grave, honestumq; esset, Apostoli illud spectantes: Sermo vester semper cum gratiæ sale conditus sit, ut sciatis, quo pacto oporteat vos unicuique respondere,

spondere,

spondere. (Coloss. 4.) Et rursus, Quaecunq; vera, verecunda, iusta, pura, amabilia, bonæq; famæ sunt, si qua virtus, si qua laus est, hæc cogitate, Phil. 4.

Fato interim bonorum omnium luctu fungitur Christianus Elector Pater, nondum completo ætatis anno XXXI. Hic cum vitæ finem instare cerneret, Principem nostrum cum fratribus cæteris vocari ad se iubet, eosq; dicta ad extremum salute, cohortatur, ut Deum totâ mente reveriti, pietati, virtutisq; studio totos se tradant: Sic enim præsto ad futurum supremum Numen, facturûmq; benignè, ut ex voto ipsius fluant omnia. Manus illi Inclyto Parenti porrigentes, imperata sese humilimo obedientiæ studio promptè facturos recipiunt, quos pius Princeps idemq; Φιλόσοφος Pater arctè ad pectus compressit, mandentibus omnium, qui lecto assistebant, oculis. Præceptorî magnâ severitate injunctum, ut verâ Numinis divini agnitione ac religione sincerâ haud aliundè, quàm è limpidissimis Scripturæ sacræ fontibus ac Catecheticis Lutheri libellis depromptâ Principum animos imbueret, ut extremo die ad sanctissimum Jesu Christi tribunal rationem administrati muneris reddere posset intrepidè. Vidit videlicet Princeps, minimè in hominis potestate esse, quo pacto vitam suam instituat, adeoque Deum esse, qui suorum gressus dirigat, eosq; salutare esse jubeat Ecclesiæ communiq; hominum societati. Morem gerit Leonhardus saluberrimis monitis, Principemq; nostrum (de hoc enim præcipuè nunc sermo) ad Virtutis Honestatisq; decus instruit, adjutus Nobilissimorum quorundam virorum consilijs, qui ob id in amore ac precio apud bonos omnes in aula fuerunt. Qui enim Principibus ad rectè agendum præceptis atq; exemplo præeunt, præclarè de multis mereri videntur, præsertim si disciplina accedat, ut dictum est. Nam ut hominis corpus

vultu



vultu in coelum erigitur: Sic mentis quædam in Deum
 cœli Regem erectio Disciplina est, quæ si pietate suf-
 fulta sit, illud efficit in Principibus, ut cœlestia spe-
 ctent, in humanis autem ea solummodò consecen-
 tur, quæ cives meliores reddere, eorumq; fovere pos-
 sint salutem & commodum. Quod ipsum aliâq; huic consi-
 milia animo expendens sapientissimus idemq; inclytus Proœle-
 ctor FRIDERICUS GVILHELMUS SAXONIÆ
 Dux, ad quem Provincia administratio lege pertinebat, deq;
 ingenio Ducis admodum excitato edoctus, magni nominis &
 doctrina virum-juvenem Inclytæ aula submisit, qui, ut in illu-
 stri institutione rectè omnia fierent, supremus quasi inspector
 ac director esset, omniâq; quæ Principis progressus concerne-
 rent, sua cum authoritate, tum curâ providâ moderaretur. Fuit
 is Joachimus Andreas Slico Comes in Passaun & VVeiskir-
 chen, præclaris ortus natalibus, quos ille politioris doctrinae lau-
 de rerumq; usu ita adauxit, illustriorèsq; reddidit, ut in amplif-
 simo Bohemiæ regno dignitate ac opibus floreat, sintq; hodie mi-
 nimè pauci, qui virum hunc inter plurimos Regni illius proce-
 res omni laude conspicuos magno in numero esse arbitrentur.
 Hic igitur Christiano Duci fidem, opem, operam ita suam præ-
 stitit, ut jucunda multis sit ejus temporis, quo Comes inclytus,
 aliq; generis splendore, virtute ac dignitate præfulgentes, in-
 primisq; Bernhardus à Pölnitz in Schwarzbach, Linden-
 creutz, Rentendorff & Gosick, itemq; Joachimus à Dölan in
 Rupertsgrün & Libau, Consiliarij & Cubicularij Principis lau-
 datissimi, Henricus præterea ab Hagen, & post hunc Nicolaus
 à Miltitz in Sibeneich, Johannes Georgius à Ponikau in Pom-
 sen, morum Magistri, viri omnino præclari, ipsèq; etiam Elias
 Reinhardus (qui in decedentis munere Sebastiani locum suffe-


B

Et us

Et us fuerat) in aula vixerunt, recordatio. Adeo certè in Principis institutione præclarè se dederunt initia, ut non possent non ij omnes, qui illustris institutionis spectatores essent, optima sibi & magnifica de eo polliceri. Crevit in ipso pietas, sua cepit incrementa religionis amor, aliâq; quæ Principibus decus & ornamentum adjungunt: quodq; palmarium duco, haud lento passu in studijs literarum progressus est, adeo, ut quos in literariâ hac palastra socios haberet, quosdam post se relinqueret, alios qui priores ferebant, celeri passu insequeretur. Prædicatur celsissima Matris fides, assiduitas ac pium studium, omni ope annitentis, ut uberrimos in pietate, virtuteq; progressus Princeps caperet: Nec officio suo avus maternus JOHANNES GEORGIVS Elector Brandenburgicus, itemq; FREDERICUS WILHELMUS Proelector defuerunt, quin monitis hortatuq; ad insistendum gnaviter studiorum cursum, Principem subinde excitare annexi sunt: Id quod cum alia plurima, tum literæ quaedam evidenter comprobant, quas Polycarpi beneficio sexto ab hinc anno inspicere atque ex autographis exscribere contigit, quæ sic habent:

Sal. Illustrissime Princeps, Agnate charissime: Literæ Dis T^a XXIV. hujus mensis Dresdæ datæ, nobis XXVII. ejusdem rectè sunt redditæ. Ad statum verò nostrum ac nostrorum quod attinet, scire Dilect. T^{am} volumus, nos adhuc omnes beneficio divino prospera frui valetudine: De contagiis quoque pestilentia nihil hîc amplius cognoscimus, unde neque deinceps periculi aliquid metuendum speramus. Veruntamen sollicitudo, quam Dilect. T. pro nobis nostrisque se habere summa cum benevolentia ostendit, gratissima, ut debet, nobis est. Itaque

vicissim



vicissim Dilect. T. fratribus item illius sororibusque, inprimis verò matri charissimæ firmam sanitatem, vitam longævam & perpetuam felicitatem ex animo precamur. Præterea cognitu nobis jucundum est, Dilect. T. non solùm paternam admonitionem nostram memoriâ tenêre, verùm etiam deinceps eidem se obtemperaturam polliceri: Quod quidem à Dil. T. jam nunc præstari minimè dubitamus: idque cùm Dilect. T. decori & emolumento maximo, tum subditis illius saluti solatioque futurum, Tuamque Dilect. inde nostrum animum erga se paternum aliquando perspecturam, persvasissimum habere Dilect. T. volumus; Eandem nosque universos & singulos protectioni divinæ commendantes. Datæ Torgæ IV. Cal. Febr. anno, &c.

Agnatus Tuus fidelis quoad vixero

Fridericus Gvilhelmus Dux Sax.

Et rursum: Sal. Illustrissime Princeps, Agnate & compater dilecte. Jucundæ nobis fuerunt *Dis Vra* literæ, quibus & observantiam in nos filialem declarat, & sollicitudinem de nobis nostrisque piam testatur, & votum pro itinere nostro Christianum concipit. Inprimis verò incredibili nobis voluptati fuit, quod sub finem, ut studiis tuis faveamus, *Do. Vra* optat. Nos verò ut à postremis ad prima redeamus, primum studiis *Dis Vra* toto pectore, favemus, utque ea porrò etiam constanter colantur,

B 2

feliciter



feliciter continuentur, & ad Dei gloriam, *Dis Vrae* decus, patriæq; emolumentum dirigantur, ex animo precamur. Deinde profectiois reversionisq; nostræ successum felicem & ipsi à Deo devotè petimus, & *Dis Vrae* omniumq; piorum precibus eundem ut peti gaudemus, ita impetratum iri & optamus & confidimus. Adhæc ut *Dis Vrae* totiusq; familiæ illustrissimæ salutem & felicitatem nobis unicè curæ cordiq; esse *Do Vrae* persuasissimum semper habeat, cupimus. Omnia denique amoris constantis & benevolentiae fidelis officia *Di Vrae*, ejusque matri inclytæ, fratribus & sororibus carissimis & deferimus, & perpetuò nos præstituros recipimus, protectioni divinæ *Dm Vm* commendantes. Torgæ X XIII. Junij, anno, &c.

In publicam circa id tempus prodit liber Germanico idiomate, à magni nominis Theologo scriptus, omnem Christiani Electoris vitam, ut & beatam ejus ἀνά λυσιν brevi, at nervosâ commemoratione complectens: In quo & Christi Servatoris gloria adversus sectarios asserta, optimiq; Principis fama & Ecclesiarum per amplissimam ditionem dignitas, qua nescio cujus defectionis apud exteros insimulabantur, probè vindicata sunt: Qui liber illustris aulae jussu latinitate donatus quorundam in scrinijs servatur. Titulus libri est: Brevis, at vera narratio de vita ac obitu Illustrissimi Principis ac Domini, Domini Christiani Ducis & Electoris quondam Saxoniae: adstruendæ veritatis ergò Germanicè prius edita, postea verò interpretando facta latina, inq; gratiam bonorum evulgata. Profuit libri lectio haud parùm Principi: Nam & in religionis professione haud parum ex eo confirmatus est, & simul animadvertit, quibus artibus influere in animos so-


leant



leant novatores, ut vel religioni labem, vel Ecclesiis dedecus concilient. Subsecuta paulò post rerum quaedam mutatio est. Ex aula enim nonnulli exceſſerunt, ipsèq; Joachimus Andreas Slico Comes aliam vivendi rationem amplexus in Bohemiam redijt: Reinhardo verò haud sine causa dimisso illustris Institutio alijs committenda fuit. Eà in re fidelem operam navarunt præstanti ingenio, doctriinà ac virtute viri Sigismundus Rhölingius Legum Doctör eximius, eiq; & additus Polycarpus Lyserus, Theologus per omnem Germaniam celeberrimus, aulæq; Saxonicae concionator. Honores in annum tertium Rhölingus gesserat, in Justitiæ pariter Appellationumq; foro Consiliarij officio præclarè functus: quod & integrum ipsi servatum est, cum ordinum omnium voluntate, in primisq; celsissimæ Matris, Electoris Brandenburgici ac Proelectoris Friderici VVilhelmi consensu ac consilio hac ipsa de re Torgæ Junio mense anno nonagesimo sexto supra sesquimillesimum prudenter inito Institutioni Illustri præficeretur: Polycarpus in fide Christi Principem summo studio informavit, monstratis erroribus, quibus doctrinæ veritatem convellere quidam moliuntur, totiusq; ad eò Institutionis inspectorem egit atq; ἐπιδοκίμων, illud in Principis animo efficiens, ut in Dei agnitione augmentum caperet indies, gustatòq; Evangelij lacte, doctrinæq; sacrae initijs, uberiore rerum cælestium cognitione sensim imbueretur, adeò quidem, ut Verbi divini pabulo tanquam vitali spiritu vegetatus ac roboratus homo ipsius interior sensim adolesceret in eum, qui caput est mystici corporis sui, nempe Christum, Ephes. 4: Rhölingus verò ut & Pölnicius & Ioachimus à Delau, viri celeberrimi, nobiles ac consultissimi, humanioribus literis Principem instructiorem reddiderunt, ita, ut non modo latina intelligeret, sed & animi sensa exprimere haud infeliciter posset. Testes sunt

omni exceptione majores, qui norunt, qua fide, assiduitate, industria in munere fidelissimi Principis Informatores sint versati, adeò, ut stupidum esse oporteat, aut cæco maledicentia pruritu laborare, qui oscitantia aut rectè parùm administrati muneris reos ipsos agere velit. Sed & de Principe ipso affirmari haud perperam potest, Ipsius Celsit. recta monentibus promptè & alacriter paruisse, præsertim cum inclytæ ipsius aures salutaribus monitis assiduè circumsonarent, nihilq; omitteretur, quod ad virtutis amorem videretur conducere. Subjungo Paranesin an. 1599. ut & aliàs sæpè ad Principem fratresq; Inclytos in illustrissima matris ac consiliariorum aula presentia cum authoritate factam, cujus cardo in hoc præcipuè versatus est: I. Pietati studerent, Deumq; præ oculis atq; in animis haberent assiduè, qui & intimos pectorum recessus scrutetur, & cogitata, dicta, factaq; hominum perspicacissimis inueatur oculis, recta, justa, æqua quæ sint, probet, detestetur indigna, inhonesta, turpia. II. Parentis jam jam spiritum reddituri sanctis monitis, Matriq; celsissimæ promptè obsequerentur, ejus ut & avi materni Johannis Georgii Electoris biennio ante piè defuncti supremas cohortationes, Friderici item V Vilhelmi Ducis, consiliariorum & amicorum dicta non secus ac numinis responsa in animos suos admitterent, ejus non immemores, quod Siracides 3. cap. scriptum reliquit: Qui parentem suum reveretur, longævus erit, & qui propter Dominum obedit, solatio erit matri suæ: Qui verò timet Deum, reveretur & patrem suum, inservitque parentibus & agnoscit suos esse majores: Benedictio patris ædificat domus liberorum: Maledictio autem matris evertit eas. Quod si (ut prona in lapsum hominis

mens



mens est) in re quapiam deliquerint, mox in gratiam cum Deo redirent, memoriam commissi erroris apud animos retinentes assidue, cum nihil æquè peccatis ob-
 stet atq; memoria eorum, in quibus deerratum est, ni-
 hilq; tam pigrum faciat hominem ad peccandum (*b. vi-
 de schol.*) III. Se suaq; omnia curæ ac cordi sibi esse pate-
 rentur, inq; hoc elaborarent omni studio, ut ad amplif-
 simum virtutis atq; authoritatis decus, adeoq; arduum
 illud felicitatis eulmen inoffenso pede evaderent: quod
 futurum sit, si sobrietati, temperantiæ, modestiæ, huma-
 nitati (quæ clementiæ altrix & nutricula est) Veritati,
 constantiæ in dictis & factis, in primisq; gravitati, auto-
 ritati, quæ viros Principes vel maximè deceat, sint addi-
 cti: Si abdicata animi impotentia, iræ acerbitate, præci-
 piti indignatione, & hujusmodi affectibus mansuetu-
 dinem consecutentur, nec quæ in mentem veniunt, ea
 statim recta, justa ac decora putent, sed quæ prudentio-
 ribus, atq; iis, qui ætate, sapientia, usuq; rerum antecel-
 lunt, justa & æqua videntur. IV. Cum pietate literas o-
 ptimarumq; rerum cognitionem conjungerent: quæ è
 Principum animis nitidiùs effulgeant, quàm clavus au-
 reus in purpura: sicut contrà malum sub Sole positum
 scriptura imperitum appellet, constitutum in dignita-
 te (*Eccles. 10.*) V. A delationibus & calumniis abhorre-
 rent, cum miseri Principes sint, qui pronis auribus ac-
 cipiant contumelias. Cogitarent in primis animisque
 secum expenderent, fieri non posse, ut qui se ipsos re-
 gere nequeunt, aliis cum fructu præsent: quodque usu
 multo compertum sit, nullo apud cives in precio esse

Princi-



principes eos, qui intemperantiæ, iræ, aliisque animi perturbationibus, quæ in subditis refrenandæ sint, ipsi met sint obnoxii. VI. Fraternalis charitatis concordiaque amantes essent, nec vel dictis vel factis ad dissensiones commoveri sese paterentur: Cogitarent imprimis, quo loco & quanto in honorum ac dignitatis culmine constituti sint. Cumque plurimorum per amplissimam ditionem oculi in ipsos coniecti sint, in hoc omni animi studio essent defixi, ut quæ Principes decent, dicant, suscipiant, agant, eorum sequendo consilia, qui honesta syadeant, & ad Remp. rectè gerendam auctores se ipsis præbeant: Sic enim futurum, ut tam Imperii Romani status, quam exteri Principes ipsos suspiciant, ament, venerentur: sicut è diverso Principes ij, qui vitam agunt intemperantia, securitate, ocio, ignavia, immodestia, aliisque vitiorum sordibus conspersam, in contemptum incurrant, qui primus & proximus ad præcipitem ruinam gradus sit. VII. Cùm nemo feliciter præesse queat imperio, nisi consiliariis ac ministris præclaris iustructus sit: hi verò Principibus aut nunquam aut ægrè adhæreant, si se sperni aut consiliis monitisque salutaribus locum minimè relinqui videant, nullo servato inter ipsos & plebeios discrimine: Tales se Principes probarent, ut cùm bonis duntaxat versari ipsos appareat, exclusis imæ fecis hominibus, quorum animi nullâ virtute tincti sunt. Plerumque enim de principum moribus ex ingeniis eorum judicari, quibus cum versentur: Quod tamen minimè ita accipiendum sit, ac si Princeps æquo in omnes jure uti non debeat, cujuscunque sanè ordinis, loci ac dignitatis sint:

fed



sed de quotidiana conversatione agi, in qua id discriminis Principi servandum, ne ardelionibus aures patere sinat, sed cum viris potius honestis ac prudentibus versetur, quorum consuetudine reddi queat melior. *Libet specimen subnectere eorum, quos in studio literarum tempestivè & alacriter fecit, progressuum, Epistolam videlicet, quam ad Fridericum Guilhelmum Proelectorem latinè & quidem Marte proprio conscripsit Princeps, hoc modo:*

Illustrissime Princeps, Clementissime Dn. Agnate, compater & tutor Patris loco honorande. Incredibile est, quantam læticiam V^a C^e latinæ literæ, quæ ad manus meas rectè pervenerunt, mihi attulerint. Ex illis quoniam cognovi V^m C^m unà cum dilectissima sua Coniuge, sorore & carissimis liberis adhuc beneficio divino prosperâ frui valetudine, & quod V^a C^e de contagiis pestilentia nihil periculi amplius metuum dum sit, divinæ omnipotentia ex toto corde maximas gratias ago, V^a C^e paternam admonitionem quotidie firmissimèq; memoria tenco: Id autem reliquosque meos conatus V^a C^e placere, cognitu mihi jucundum est: Mèq; daturum operam, ut V^a C^e animum erga me paternum gratitudine perpetuâ exhilarem, & ad meum emolumentum meis carissimis subditis aliquando solatio existam, V^a C^e sibi persuasissimum habeat. V^a C^e & omnibus huic sanguine conjunctis firmam sanitatem & præsentis ac futuræ vitæ felicitatem precor: Utq; favorem & benevolentiam suam erga me meaq; studia usq; ad mortem retineat, mèq; fidelissimum filium sibi semper habeat commendatissimum, ex toto animo rogo. Me V^a C^e quoad vixero,

C

fore




fore obsequentem, illiusq; monitis, cohortationibus & consiliis bonis obtemperaturum syncerè polliceor. *Et quæ sequuntur.*

Frontem, spero, non contrahis Lector, quòd Epistolas tam hanc, quàm superiores velut emblemata ac tessellas scripto huic insertas volui. Neque enim in arcanis habenda aut à cognitione aliorum semovenda sunt, quæ nihil arcani continent. Quin potius è lectione earum apparebit, Principes ipsos, Regumq; filios Disciplina jugo subesse, eosq; ad pietatem, virtutem, literas, sine quibus vix quisquam Imperium in cives rectè ac feliciter gerit, præceptis, monitis crebris, exercitati neq; assidua informari oportere: δεχῆ (γδ) πολιτείας ἀπάσης νέων τροφή; ac rectè omnino Plato, ξωδερμεῖν δεῖ, inquit, βασιλεία τὴν φιλοσοφίαν. Quod ipsum parentibus humiliore loco natis eorumq; liberis ingenuè editis calcar addit, ut pueri dum sunt, honestate ac rebus bonis ipsi quoque delectentur, eaq; maturè cognoscant, quæ viris facilis decus ac dignitatem concilient. Munere interim suo cùm viri nobiles, quos dixi, tùm ipse etiam Rhölingus abeunt, ineunte jamjam anno 1600. relicta à apud bonos omnes industriorum hominum opinione. Quod ipsum permovit Principem, ut ad amplissimos honorum gradus, viros præclare meritos proveheret: Polycarpus autem in statione suâ Ecclesiastica, quam anno 1592. adierat, ad beatum usque ex arumosa hac vita decessum perstitit, quem feliciter tandem adeptus est die XXIII. Februarij, anno 1610.

1601.

Compleverat Princeps ætatis annum XVIII. cùm ingenti totius provinciæ gratulatione gubernationem harum terrarum adiit mense Septembri, ipso die natali, anno Christiano 1601. cùm triennio antè publico aula consilio adhibi-


tus



*tus ad Rempublicam gerendam resq; civiles prudenter cogno-
 scendas ac judicandas paulatim fuisset adsvectus. Con-
 veniunt proceres magno numero, convocati à Friderico VVil-
 helmo Pröelectore. Hic administrationem in arce Dresden
 si publicè ac solenniter deponit, verba ad ordines splendid.
 faciente Marco Gerstenbergio Cancellario Saxonico, Iu-
 rium Doctore; Respondente verò Electoris nomine nervosi
 & graviter Esaia à Brandenstein Intimo aula Consiliario. Iu-
 ramentum subjectionis ac fidelitatis à civibus prestatur Octo-
 bri ac Novembri mensibus. Feudum Casarea Majestas ipsius
 Celsitati Praga confert anno sequenti, mense Julio: Legati ad
 Imperatorem fuerunt Antonius Henricus Comes Schwarz-
 burgius, Iohannes Löser hereditarius Marschallus Electora-
 tus Saxonie, Iohannes Ernestus ab Haugwitz, viri priscâ no-
 bilitate, virtute, authoritate & famâ celebres, & Iohannes
 Georgius Gödelmannus Iurium Doctore. Aula Magister,
 quem vetusto vocabulo Marschallum vocant, constituitur
 VVolfgangus Ernestus à VVolframsdorff in Crossen & Selbitz,
 vir antiquæ nobilitatis, magnæq; virtutis & authoritatis: Can-
 cellarius verò David Peifferus Lipsensis, Iurium Doctore, ex-
 quisita Doctrina, summig; in primis Iudicij vir, sed morbo tum
 detentus, qui haud multo post ipsum humanis rebus exemit,
 suffecto Bernhardo à Pölnitz, cuius supra facta mentio est. In-
 timo aula consilio presunt Generosus Dominus Burchardus
 Schenck Liber Baro in Tautenburgk & Fraufrisnitz, idemq;
 Archicubicularius Principis: Abrahamus Bock in Kliphausen,
 cuius ampla ac præclara in domum Saxoniam quatuor sub Im-
 peratoribus, totidemq; Electoribus extiterunt merita: Esaias à
 Brandenstein in Oppurgk, Grünau & Knau: Ioh. à VVolfersdorf:
 Henric. Abrahamus ab Einsidel: atq; hi quidem omnes genere,*

virtute, literis ac dignitate apprimè præstantes: Sed & D. Aichmannus aule VVirtembergicæ Cancellarius ac Jurium Doct̃or præclarus, Electoris rogatu à Duce suo humaniter summâq; benignitate dimissus in consilium intimum adsciscitur, cui negocia in Camera Imperiali expedienda (quæ nobilis Jureconsulti Hartmanni Pistoris partes priùs fuerant) committuntur ad diem 23. Septembris. Aula consilio præsent VVolfgangus à Lütichau: Leonhardus à Milcka: Georgius Ulricus ab Ende: Iohannes Adolphus Bock: Christoph. à Los junior: Ioachimus à Dölau: Casparus à Schönbergk: Sigismundus Rhölingus Doct̃or, & Iohannes Georgius Gödelmannus perpetuus ad Casarem Orator. Ex his aliqui per mortem aliisvè rationibus decedentes honoratissimis officijs suis successores diversis annis habuerunt Franciscum à Rechenbergk, Ionam à Quingenbergk in Auma, Viros nobiles, admodum literatos ac prudentes, Christophorum Richterum, Ludovicum Person, Andream Goldbeckium, Davidem Döringum, & Ioachimum Zieglerum, Legum Doct̃ores omnes doctrinâq; ac virtutis laude conspicuos. Splendidi Appellationum judicij Præses fuit Hartmannus Pistoris, inq; hujus locum haud longè post successit, Casparus Schönbergius: Adjunguntur & Georgius Bernhard. à Pölniz, VVolfg. à Lüttichau, Georgius Ulricus ab Ende, Georgius Vitztumb, Rudolphus à Bünau, Iohannes à Teteborn, Iohannes Günther à Kitzscher: hiq; omnes nobilitate, virtute & auctoritate eximij: præterq; hos Iohannes Lauterbach, Iohannes Freysteinius, David Rorarius, Christophorus Richter, Casparus Triller LL. Doct̃ores omnes: Cumq; horum quidam natura debitum solvissent, Doct̃. Benedictus Carpzovius Aula Saxonica Coldicensis Cancellarius, Ioachimus à Loos, Ludovicus Person, Sigismundus Rhölingus, Theodorus Möstel Consul Lipsensis,

Iohannes



Iohannes Timæus Episcopatus Numburgensis ac Zizensis Cancellarius, Leonhardus Cöppel Noribergensis: & hi quidem Iurium Doctores præstantissimi, multaq; cum virtutis tum gravitatis. Ad Imperialem Cameram Electoris nomine mittuntur Casparus à Teutleben & Georgius Andreas Reinhardus, post Henricus à Zehmen ac N. Reich, Pomeranus Iurium D. Electorali Camera consiliarij ac directores dantur Georgius à Schleunitz & Daniel à VVatzdorff: Post hos Humpertus à Langen, Caspar Rudolphus à Schönbergk in VVülsdorff, tandemq; Sigismundus & Iohannes à Berbisdorf. Camera intimæ Secretarius, idemq; Consiliarius est Ludovicus VVilhelmus Moserus, doctrinâ usq; rerum & authoritate præ multis eminens. Ferax mutationum fuit tempus hoc, non tam aula quam dititioni noxiam, cum sine amplissimis præmijs ad aulas vix quisquam veniat, nec absq; muneribus functione abeat, quo quidem sumptuum impendio, accedentibus præsertim regijs largitionibus, vel ditissimorum Principum araria exhauriuntur, fitq; ad vetigalia ac publica onera magna subinde accessio: Quanquam interim minimè improbandum, ob præclarè obita munia benè meritos amplioribus ad moveri officijs. Aula Magister qui fuerit, ad eunte feliciter harum terrarum gubernationem Electore, supra indicatum est. At secuti sunt paulò post, decedentibus munere alijs itemq; alijs, in primisq; Iohanne à VVolfersdorff in Delitz, Iohannes Georgius à VVese in Burckartsdorff: Christophorus à Los in Schleunitz Sacri Imperij Thesaurarius: Sigismundus à Berbisdorff. Magistri domus fuerunt Henricus ab Eckardsbergk in VVeistrop: Iohannes Georgius à Sebach: Sigismundus Berbisdorfius, Alexander à Ragevitz in Stöfsitz. Urbis Præfectos ab anno 1601. ad annum usque 1611. (quo è vivis excessit Elector) fuisse reperio Melchiorum à Milcka:

Bartholomæum Brand Hanoveranum, Georgium Schubart, Rudolphum à Carlewitz. Archiquæsturam gesserunt Matthæus Hanitzsch: quo in fata concedente munus honoratum demandatur VVilhelmo à Kayn, & post hunc Iohanni Meisnero Hanensi, qui etiamnum officium cum laude gerit. Fisco Electorali præfuit Marcus Rhölingus Freibergius: Hic deposita gravibus de causis spontè provinciâ anno 1610. successorem nactus est Balthasarem Leicherum Torgensem. Verùm cum hic Majo mense anno subsequente post vegeta adhuc ætate subito è vivis excederet, Rhölingus ad munus obeundum principis jussu redijt.

Jure adversus Nicolaum Crellium Aula Electoralis sub Christiano I. Cancellarium annis aliquot superioribus à provinciæ ordinibus disceptatum fuerat. Causa admodum intricata cognitio ad Imperatoriam Majestatem devolvitur, cujus sententia ad Fridericum VVilhelmum Proelectorem in hæc verba mittitur die XI. Septemb. Nos Rudolphus II. Dei gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ & Sclavoniæ Rex, Archidux Austriæ, Marchio Moraviæ, Dux Lücelburgi, Silesiæ, Marchio Lusatia, &c. testamur: Postquam à Celsiss. Principe cognato nostro dilecto Friderico VVilhelmo Saxonie Duce, Tutore atque Electoratus Saxonie Administratore, Landgravio Duringiæ & Marchione Misniæ, institutus per M. Abrahamum Giesbach fiscalem, Actorem, pro recepto more Inquisitionis processus adversus captivum Nicolaum Crellium Doctorem reum unâ cum probationum documentis transmissus, quidq; in negotio illo de Jure pronuncianum videatur, decerni petitum fuit: Nos & processus illius acta & probationes Præsidi

nostro

nostro ac Consiliariis in Curia Appellationum Arcis Pragensis cognoscendas ac judicandas tradidimus. Et quidem commemorati Præses ac Consilarii revisis probeq; discussis ac pensitatis omnibus juxta leges statuerunt, Reum D. Nicolaum Crellium, eò, quòd multiplicibus atq; improbis suis contra fidem datam susceptis atque usurpatis tam domi, quàm foris cum exteris Principibus eorumvè legatis, technis variisq; & quidem fraudulentis ac perniciosis molitionibus, quæ de jure sufficienter adversus ipsum producta ac probata sunt, contra pacem publicam & ad turbendam communem patriæ tranquillitatem & concordiam egit, Capitis poenam incurrisse, adeoque ad deterrendos alios gladio feriendum esse: Jure sic statuente. Subscripsit Christophorus Popl Baro à Lobcovitz. *Sententiæ hujus vigore supplicium à Crellio Dresdæ sumtum est ad forum novum die 9. Octobris: A cujus morte scriptum maledicum prodijt, cujus confutatio à quibusdam Verbi ministris Dresdæ suscepta ac publicata est anno 1603.*

Legati ad Electorem hoc anno & subsequente proximo plures mittuntur, de feliciter suscepta gubernatione ipsius Celsitati amicè gratulaturi. Cesareæ quidem Majestatis nomine Maximilianus à Lichtenstein & N. de Nova domo Barones, ineunte Octobri: Hassiæ Ducum XVI. ejusdem mensis: Mathiæ Austriae Archiducis serenissimi XV. Novembris: Norimbergensis Reipublicæ orator ineunte Octobri: Churlandiæ & Semi-Galliæ Ducis Legatus XVII. Novembris. VVeissen-sehæ cum legatorum quodam acriter de verbis Testamenti ac genuino eorum sensu colloquitur Elector, non nemine demirante ingenij vim rerumq; Theologicarum cognitionem.

Redit

Redit Dresdam XII. Novembris, ad comitia provincialia se & aulam instruens, cum paulò antè Octobri mense, propriè videlicet Luca Evangelistæ, presente ac spectante actum solennem ipsius Celsitate, Inclytus Dux Augustus frater Rector Academia Vitebergensis designatus inq̃ arcis templo publicè renunciatus fuisset.

Peregrinationem ineunte anno exiguo cum comitatu suscipit Illustrissimus Sax. Dux Iohannes Georgius, ætatis annum ingressurus XVII. Peragratis celebrioribus quibusdam Germaniæ Civitatibus in Italiam rectè contendit, perlustratis Venetijs, Verona, Mediolano, Roma, Florentia, alijsq̃ nobilioribus civitatibus, in Misniam feliciter redit anno proximo post mense Februario, Mediolani in morbum incidit gravem: quo tamen singulari Dei bonitate levatus est, utilem admodum operam navante Inclyti ac illustris Sabaudia Ducis archiatro.

Comitia provincialia magnâ Ordinum frequentia Torgæ aguntur mense Decembri. Actum in ijs fuit de fovendâ, tuendâ ac transmittendâ ad posteros religionis, quæ unctius Lutherana dicitur, puritate. Confirmata sunt Prælati, Equestri ordini, ut & civitatibus, Academijs, alijsq̃ accepta à majoribus jura, immunitates, privilegia, multaq̃ salubriter decreta, quibus Provincia etiamnum gaudent, utq̃ diu ijs fruantur, vota ad Deum faciunt assidue, ut quod videri Duces volunt, ipsâ re esse allaborent, Christiani videlicet, Georgii, Augusti, Deo pariter atque hominibus gratiosi, jucundi, pacifici, populorum Pastores ac Evergetæ, patriæ patres, Justitiæ patroni ac præsides, civium ac fortunarum assertores, custodes, Injuriarum vindices, adeoque Terræ scuta, Φωσῆρες, fulcra, quemadmodum in scripturis Principes Boni appellantur. Proinde ut animorum gratitudinem declararent

Ordines,

Ordines, unanimi voluntate de pensionibus largiùs fundendis consilia inierunt. Ominis quid habere visum, quòd durantibus Comitijis juxta armamentarium Dresdæ ad XVI. Decemb. per incuriam nocte intempestâ exortum incendium vix magno labore restringi potuit: quodq; soluto jam conventu, subito liquefactis nivibus flumina per patentes campos egressa reditum nonnullis intercluserunt, nec pauci de vitâ periclitati sunt. Veruntamen presagium, quòd multis terrori fuit, Deus propitius in feliciorum exitum commutavit, concessâ Principi pacatâ gubernatione, ijsq; abactis atque exclusis omnibus, quæ funesti aliquid hisce terris minitari videbantur.

Revertuntur circa id tempus à Colloquio Ratisponensi 1602. Theologi harum terrarum primarij Aegidius Hunnius ac David Rungius viri celeberrimi, cum Pontificiæ doctrinæ vanitas egregiè iterum detecta ac confutata fuisset; & vel sic tamen à juratis veritatis hostibus per Styriam & Carinthiam acris persecutio adversus Evangelicæ veritatis confessores suscepta est. Excesserunt locis commemoratis anno sequente tertioq; post minimè pauci, qui in Germaniam interiorem progressi, ab Electore, cujus animus miserorum querelis semper patuit, benignè suscepti sunt, edicto publicè proposito, ut in civitatibus, ad quas venirent Christi exules ad œconomias constituendas ac stabilendas res suas, benignè admitterentur: Eorum plurimi cum in Electoratu, tum alijs ditionibus hodieq; commorantur, dilabentibus sensim ceteris, quibus ad quæstum faciendum, ac lucrum quavis ratione è damnis aliorum captandum prærepta videtur occasio. Summa Electoralis mandati sic habet:

Postquam famâ ad nos perlatum est, factiosis Jesuitarum consiliis & machinationibus multis locis ejici eos, qui puræ ac sincerae Confessioni Augustanæ

D

addicti

addicti sunt, multosque illorum in tanta rerum perturbatione tutum in nostris ditionibus receptum querere: minimè facere possumus, quin, ut fidei ipsorum consortes, declarandæ Christianæ charitatis gratiâ benignè promptèque ipsis subveniamus. Constituimus itaque aditum non modò ad nostras ditiones ipsis præbere, sed & commoda ipsorum quavis ratione ac cura provehenda suscipere. Proinde universis ac singulis demandamus, ut vigore hujus mandati in eos, qui ob confessionem Augustæ exhibitam loco ac fortunis cesserunt, aut deinceps cesserunt, idque evidentibus documentis testatum facere norunt, charitatem Christianam ipsi quoque exerceant, obque Dei gloriam ac Verbum ejus sacrosanctum quævis pietatis officia ipsis exhibeant. Inprimis verò oppidanis magistratibus manuariisque opificibus injungimus, ut civitatum jure uti frui ipsis concedant, sique duorum triumvè, quorum fides perspecta est, testimoniis comprobare possint, se mechanica opificia rectè ac solerter perdidicisse atque exercuisse, in sodalitates eos suas recipiant, minimè ad artis, quam profitentur, specimen de novo edendum ipsos adigentes, sed suppetias potiùs ferentes, ut pios Dei que amantes decet: Quin uberioris gratiæ declarandæ causa etiam hanc ipsis præstamus benevolentiam, ut si in metalliferis civitatibus versari ipsis colibuerit, bona ipsorum per quadriennium: extra verò oppida illa per biennium ab omnibus vestigalibus sint immunia, &c. Die 4. Februarii, anno 1603. *Licet autem ob privilegia opificum sodalitatibus priscis temporibus*

à summo




*à summo in his terris magistratu concessa ac confirmata nonni-
 hil à mandati hujus rigore alicubi discessum sit : Omnia tamen
 humanitatis ac benevolentiae officia Christi exulibus exhibita
 tam à civibus quam à Principe sunt, qui hoc nomine haud se-
 gnus de ipsis promeritus videtur, atque Gerari Rex, qui Abra-
 hami familiam hospitio recepit : aut Aegyptius Pharaon, qui in
 Iosephi parentem ac fratres munificum se praebeuit : ipseq; etiam
 Nehemias, in egenos adprimè facilis ac promptus, Genes. 20. 47.
 2. Esdrae 5. Quia verò & colloquij sub initium Decembris, Illu-
 strissimorum Ducum Philippi Ludovici Palatini Comitum &
 Maximiliani Bavariae auspicijs Ratisbonae instituti mentio
 facta est, Theses inserere libet, quas de unica Norma doctrinae,
 & controversiarum Religionis iudice Theologi nostri defen-
 dendas susceperunt. I. Verbum Dei Prophetarum, Ev-
 angelistarum & Apostolorum scriptis comprehen-
 sum, doctrinae, cultus, ac fidei Christianae unicam, cer-
 tam atque infallibilem normam, regulam ac mensu-
 ram, cui propter ipsum Deum auctorem fides per se
 tradenda sit, indubitanter agnoscimus. II. Id ipsum
 controversiarum religionis omnium inter eos praer-
 sertim qui Christianorum nomen sibi vendicant, Ju-
 dicem, aut sanè vocem Judicis supremi, quem omnes
 agnoscere, timere ac venerari tenemur, constituimus.
 III. Quod cum verbo Dei scripto concordat, recipien-
 dum & approbandum : quod discordat, simpliciter &
 sine omni exceptione repudiandum & damnandum
 esse censemus. IV. In verbo illo divino omnia,
 quae nobis ad veram Dei & voluntatis divinae agni-
 tionem, adeoque ad salutis aeternae consecutio-
 nem, nec non ad cultus DEO placentes necessaria*



sunt, sufficienter contineri, minimè dubitamus. V. Quæcunque ad salutem scitu necessaria sunt, satis perspicuè & dilucidè in utroque, Novo præsertim Testamento nobis ob oculos posita esse, Dei beneficio agnoscimus. VI. Vnicam hanc eamq; certam, perfectam, perspicuamq; normam fidei, & cultuum, parati sumus per Dei gratiam ex Scriptura sacra palàm tueri. VII. Neq; hanc sententiam esse novam, sed à sanctis quoq; Patribus approbatam, ipsorummet testimoniis claris & perspicuis ostendere constitutum nobis est, non quòd vel in hac quæstione, vel speciatim in Articulis controversis, doctrinam nostram Patrum scriptis superstruamus (unum enim, solidum & immotum fundamentum, cùm hic tum alibi Dei omnipotentis verbum scriptum agnoscimus) sed ut appareat, huic nostræ assertioni præter meritum impingi novitatis notam, quasi ea sanctæ & orthodoxæ vetustati planè fuerit incognita. VIII. Quin hoc ipsum affirmatum nostrum de unica Norma & Judice scriptura sacra usq; adeò novum non est, ut ejusdem luculenta vestigia, & aperta quædam testimonia in ipso etiam Jure Pontificio (quod apud adversarios authenticum esse constat) manifestè reperiantur. IX. Aliam religionis normam, aliosq; Judices, quocunque vocentur nomine, nisi ex prædicto verbo Dei infallibili doctrinæ suæ rationes exponant, in re tam ardua, nostramq; salutem concernente, de qua nobis omnibus coram tribunali Christi respondendum erit, admittere non possumus. X. Qui dogmata quædam religionis, quæ in sacris literis nec expressè continentur, neque indè bona con-

sequentia



sequentia deduci possunt, necessariò credenda, aut cultus quosdam citra Dei verbum scriptum vel mandatum, ab hominibus excogitados, ipsi Deo gratos vel etiam meritorios esse opinantur, denique dissentientes hanc ob causam hæreseos insimulant, haud leviter errare sentimus. XI. Verbum Dei θεόπνευστον, in rebus præsertim ad humani generis salutem pertinentibus, imperfectionis, obscuritatis, aut ambiguitatis arguere, debita & religiosa erga authorem observantia & devotione prohibemur. XII. Recens adversæ partis pronunciatum, quo prædictam unius normæ ac Judicis constitutionem, omnium hæreseon & confusionis Babylonicæ causam atque scaturiginem esse dicitur, minimè Catholicum, & in vera Ecclesia Christi inauditum esse arbitramur.

Rancidam ac elumbem Jesuitarum assertionem, quam Thesibus opposuerunt, cum Scriptura sacra minimè analogam sit, eiq; è diametro adversetur, non attingo: illud subnectens, quod de Jesuitica factione è Gallie regno annis superioribus ejecta atq; exauctorata jactatum tum fuit locis omnibus, magno studio & conatu egisse, ut reditus ipsis concederetur ad collegia, quorum proventus in regione copiosa & abundante in vitæ reliquerant. Cunctatur postulatis ipsorum subscribere Henricus IV. Rex, missa brevi sed nervosa Epistola, cui ad calcem hæc adscripta leguntur: Quid ante quadriennium admissum fuerit, Regium non est, vel vobis vel aliis objectare: Sententiam semel latam non muto: Vos si verè Galli estis, magis totius Regni tranquillitati, quàm vestræ utilitati consulitis. Recitabatur integrè ab eximie docto viro Celsissimo Electori Epistola, qui non nihil cogit abundus, laudan-

dam dixit Regis constantiam inq̄ vindicanda Henrici III. injusta cade Iustitiæ ac pietatis zelum: Veruntamen metuendum, ne Regis calamum immisso anathematis fulmine hebetet Romanus Pontifex: Neq̄ enim cæpto defuturos Jesuitas sanguinarios, nisi aut voti compotes reddantur, aut Rex ipse (ni caveat) in novas incurrat insidias.

Quia verò ab immanissimo Christiani nominis hoste haud parum periculi in Pannonia locisq̄ finitimis iterum oriebatur, annoq̄ superiore Agria nostrorum destituta auxilijs, in bellæ istius potestatem venerat, suppetias Imperatori ferre Germaniæ Principes constituerunt. Qua in re adeò officio suo non defuit Elector, ut ob fidem potius Cæsareæ Majestati hac quoq̄ ex parte præstandam, simulq̄ Imperij decus ac dignitatem tuendam, hostis verò truculenti tyrannidem vel sustinendam vel retundendam fortiter nec sumtui, nec armis, nec militi parcendum statueret. Eoq̄ nomine haud paucos Sacri Imperij proceres, qui in conferendo sumtu cunctantiores essent, suo exemplo ad communis Patriæ salutem tuendam animavit, præsertim cum Canischium Ungariæ propugnaculum Paradisi ac prædiariorum ignaviâ turpiter amissum ab Hispanis & Italis irrito conatu obsessum cognovisset. Sed & domi atque in togâ Principis salutaris officio functus est: Constituit per illustrem ditionem magistratus, præfecturis capitaneos dedit, consilia publica viris præstantibus, aulam ministris instruxit: præterq̄ hæc omnia Senatam Ecclesiasticum, penes quem Scholas atque Ecclesias constituendi jus fasq̄ esset, Dresdæ primus aperuit, urgente negotium Polycarpo Theologo, qui idem confessus præses datus est adjunctis viris eximijs, imprimisq̄ nobilitatis splendore, literis ac rerum usu probatissimis. Cumq̄ Principis jussu Inspectio Ecclesiarum annis superioribus interrupta,

anno

anno 1602. iterum instituta esset, Acta lustrationis illius bien-
 nio post in doctissimorum quorundam virorum conventu Dres-
 dae recognoscuntur. Convolarunt iterum legati presenti an-
 no salutatum Electorem, & gratulatum ipsius Celsitudini de
 auspiciato in ita Provincia gubernatione, Bavariae quidem Du-
 cis VII. Ianuar. Ferdinandi Archiducis Austriae die XVIII. post.
 Coloniensis Archiepiscopi Ernesti IV. Febr. nec multo post Ducis
 de Modena: Ducis VVirtembergici legati Electori gratulantur
 die XXV. Febr: VVurceburgensis & Bambergensis Episcoporum
 Martio & Aprili, Vinarienses Iunio: Brunsvicenses eodem men-
 se: Georgius Fridericus Brandenburgicus Marchio Torgam in-
 greditur Electorem salutaturus XIV. Apr. Ferdinandus Colo-
 nitzschius haud multo ante XXIII. Februar. qui munera a ipsius
 Celsit. exhibet, Ianitzscharem Turcicum, Militum tribunum
 quem Zauschum vocant, Maurum cum aliquot equis Turki-
 cis. Martio mense Dresdam adventantes Caesaris Legati in-
 stant, ut priusquam Imperij comitia agantur, Principum con-
 ventus instituatur, deq; auxilijs adversus Turcas submittendis
 decreta fiant, ac contributionum solutio à quibusdam Princi-
 pum expediatur: Rata quoq; habeatur Argentinenensis trans-
 actio, sumptusq; in VVestphalicam expeditionem à Brunsvicensi
 alijsq; facti refundantur. Cupit praeterea Caesar. Majestas se Pra-
 ga conveniri ab Electore: Qui quidem ad Septem viros ceteros
 legatos mittit, simulq; à Friderico Duce VVirtemberg. obtinet, ut
 Theologorum ea aetate coryphæo Hunnio potestas concedatur
 diutius subsistendi VVitebergæ, quam quidem Dux Inclytus pro
 summa in Electorem benevolentia amice concessit. Supremum
 hoc anno diem Ian. mense obit Ioseph. Benno Theler in Potscha-
 pel & Klingenb. vir multa pietatis, charus ob virtutem septem
 Saxon. Ducibus Georgio, Henrico, Mauritio, Augusto, Christiano

Primo,



Primo, Friderico Gvilhelmo Proelectori, Christiano II. Morienti anno 1539, Georgio Duci Josephus hic adstitit, cumq; à Petro Isenbergio oppidano Pastore Princeps morti propinquus mone- retur, ut Patroni sui Jacobi Apostoli recordaretur, qui se depre- catorem pro ipso coram Deo indubiè prabiturus sit: Vocem illam plenam vivificæ consolationis ex ore Johannis à Lindenau ad Principem factam audivit: Tua celsitudo, Princeps cle- mentissime, spem salutis in Jesu Christo unico Dei Fi- lio repositam habeat, qui pro totius Mundi peccatis sanguinem suum in cruce profudit: Hic pro T. Celsit. hodierno die apud cœlestem Patrem intercedet: Ad qua Princeps in hac verba respondit: In hoc spem & fidu- ciam meam, nec in ullo alio locatam habeo: Quo dicto spiritum placidè tradidit, eodem propemodum exitu vitam claudens, quo Maximilianus II. Imperat. qui imminente jam mortis horâ à suis monitus, Episcopum Neustadianum præ fori- bus esse, qui Casaream Majestatem sit compellaturus, Accede- re cum posse dixit, hac conditione, ne qua aliâ de re, ni- si Christi Salvatoris nostri unici merito loqueretur: Nec defuit officio suo Episcopus, cumq; ad extremum Casarem hortaretur, ut pluri valère apud Deum Jesu Christi Domini nostri innocentis sanguinem statueret, quam totius mundi pec- cata, inq; hac fiducia se suamq; salutem aeterno Deo commenda- ret, in spe vite beatæ ac perennis usq; ad extremum spiritum constanter acquiescens, Imperator disertè & perspicua voce, Non aliter faciam, inquit: ac mox quasi obdormiscens ani- mam piè egit.

Suscepta hoc anno & de connubio contrahendo deliberatio est. Missis itaq; in Daniam præcipua nobilitatis viris, in pri- misq; Burckardo Schenck, libero Barone in Tautenburgk Consi-

uario

liario Intimo, præfectoq; Generali in Freiburgk & Eckardsberg, itemq; antiquâ nobilitate, virtute, literis, prudentiâ, usq; rerum admodum conspicuo viro Esaia à Brandenstein: despondetur Electori illustrissima Princeps ac Domina, Dn. Hedwigis Friderici III. Dania ac Norvegia Regis filia. Nuptiæ ingenti apparatu Dresdæ celebrantur Mense Septembri, anno 1602. quo vini ad Rhenum, Danubium, Nicrum, ut & in Boiemia, Misnia, Austria, Moravia non proventus solum copiosus, sed & suavitas tanta fuit, ut cum extero comparari posse videretur. Turbavit nuptiarum apparatus casus quidam infelix: Dum enim ad XXIII. diem Iunii anno jam dicto ex Pirnensi arce navi Dresdam revertitur Inclytus Elector, flammam subito concipiens pulvis pyrius non modo tectum navigij fœdè disjecit, sed & eos, qui simul vehebantur, corporis quibusdam partibus ambussit aut undis tradidit, qui tamen, uno atq; altero desideratis, ac submersis, omnes servati sunt: notatuq; inprimis dignum, quod Inclytus Dux Johannes Georgius undis & ipse haustus presenti discrimine liberatus, Ipse verò Elector ex ambustione ita Dei propitij benignitate feliciter curatus est, ut vix tenuia quedam illapsi ignis vestigia in facie apparerent. Per vulgatum magnatibus hilaritatis occasionem à flammis petere, idq; non adeò improbandum, dummodo intra mediocritatis fines rescoërceatur, & potissimum spectetur, ut ad invadendos hostes ac munitiones capiendas, quam ad rem bellicis tormentis flammisq; subjectis opus est, miles reddatur animosior: Alioqui res docet, vix aliud quid dari posse, quod ad hominum perniciem magis se exacuat, irritet, exasperet atq; Ignis. Perierunt Ignibus quinq; urbes; nec vel aedificijs, pagis, vicis, oppidis pronior ac promptior hodiè ruina, quàm ab Ignibus est: Certus idemq; extremus ac fatalis Mundo ab exustione interitus imminet:

E

Ignibus


Ignibus comparatur justissima Dei ira ac fervens indignatio consumens, perdens, ac vastans omnia, nisi verà cordium pœnitudine, fletu ac lacrymis restinguatur: Flammis ultiones divina adsimilantur: Ignis appellatione veniunt reproborum supplicia nullo ævo finienda: Vix in Scripturis de Igne quid asseritur, quod non vindictam, excidium, exitium innuat: nisi cum rubus exardescens divina majestatis præsentiam exhibuit: aut victima flammis concremata sunt: sacerq; ille Ignis ac cœlitus demissa flammula, Spiritus nempe Apostolorum ora lumine copioso replevit, & ad prædicandum Christi Evangelium idoneos reddidit: Terrent pios elisi ignes è nubibus, terrent emissi è terra globi ignei, aut succensa in aère trabes ardentes, faces, chasmata, & id genus meteora alia. Quo nomine laudandi sunt, qui ad necessitatem duntaxat, non voluptatem ac jocos flammis utuntur, præsertim ubi alia præ manibus sunt, quibus jucunditati daturus se animus recreari queat. Scholas provinciales, ut & Lipsiensem ac VVitenbergensem Academi-
 as, missis eò præclara authoritatis, doctri-
 na ac sapientiæ vi-
 ris inspicere, recteq; in ijs constitui omnia jubet Elector Majo men-
 se: cujus auspicijs & seculares anni inter vota solennia ab Aca-
 demijs summa festivitate celebrantur: A VVitenbergensi qui-
 dem die XVIII. Mensis Octob. Lipsiensi verò septimo anno post,
 nempe 1609. mense Decembri. VVestphaliam, Phrisiam, aliasq;
 Imperij provincias subita incursione infestant Hispani: ad quo-
 rum vim retundendam conscribuntur per Germaniam exerci-
 tus. In vivis interim desuit esse Fridericus Guilhelmus Saxonie
 Dux octavo die Julij horâ noctis XII. cum vixisset annos XL.
 menses II. horas XI. relictis ex Sophia VVirtenbergica & Anna
 Maria Palatina quatuor heredibus masculis, Johanne Philip-
 po, Friderico, Johanne VVilhelmo, & Friderico VVilhelmo cum
 totidem



totidem filiabus: Quorum tutela ad Inclytum heröem nostrum Christianum I I. delata est: Eam ita ille administravit, ut fidem bonis omnibus probaret, tutoris fidi atq; industrij munere perfunetus, de quo pulchrè Siracides cap. 4. Erga orphanos, inquit, te gere ut patrem, & erga Matrem eorum tanquam Patrem familiäs: Sic Filius tenellus eris altissimi, & dulciùs te complectetur, quàm Mater tua.

Anno proximo ad Imperij Comitia per Caesaris & Principum Legatos Ratisbonæ Aprili, Majo ac Junio mensibus acta à Principe mittuntur Inclytus ac Generosus Dominus Philippus Ernestus Mansfeldia Comes, nobilis Dominus in Helderungen, Præfecturarum Lipsiensis atq; Eulenbergensis Præfetus: Adjunguntur ipsi Bernhardus à Pölnitz, Aula Electoralis hodie Cancellarius, vir multa doctrina atq; autoritatis: Casparus Schönbergius in Pölnitz, Electori à consilijs intimis, summis & ipse viris cum laude meritissima annumerandus, Badehornius & Rorarius Jureconsulti. Imperatoris partes obit Matthias frater, Archidux Austriae, Deliberatum de bello adversus Turcam redintegrando, De Belgicis motibus componendis, De Camera judicio & Albo Imperiali restituendo: deq; renummaria ad justum argenti precium revocanda. Verùm infestis penè rebus discessum est. Pracox annus Martioq; mense præter morem vernans annonæ ac frugum copiam eximiam fundit, messem cum vindemia accelerat. Elector cum Hedwige conjugæ & Joh. Georgio fratre, Julio & Augusto mensib. aestiva locis montanis venandi studio instituunt, imprimisq; Anneberga, Schwartzenbergæ, Crotendorffii, locisq; finitimis. Fato fungitur Illustriss. Princeps Georg. Frid. Brandenb. Marchio, die 26. Apr. an. et at. LXIV. cùm rerum summæ in an. 47. præfuisset, in monasterio Halsprun. conditus: Ulricus præterea Dux Megalpurg.

Gustrovij, die 14. Martij, ætatis LXXVI. Regni verò L. Ejus filia Sophia Serenissimo Dania Regi Fridericho II. matrimonio feliciter junctæ tres ipsi filios edidit, Christianum IV. Friderici Patris in regno successorem: Ulricum Ducem, Episcopatus Svericensis Administratorem: Johannem Magni Moschorum Ducis generum futurum, sed fato præpropere abreptum: Quatuor filias, Annam, Iacobo VI. Magnæ Britannia Regi felici connubio junctam: Elisabetham Heinrico Julio Duci Brunsvicensi & Lunaburgensi: Augustam Iohanni Adolpho Norvegia heredi: Hedwigen denique Christiano II. Electori Saxonie nuptam. Obijt Elisabetha Anglorum Regina iam septuagenaria, fœmina præter multas corporis, ingenij, animiq; dotes Anglica, Gallica, Hispanica, Latina & Italica Lingua peritissima ac supra sexum prudens. Regni amplissimi habemæ Iacobo VI. Scotorum Regi cedunt, & quidem iubente ac disponente ante obitum Regina, accedente procerum unanimi consensu, decreto & voluntate: Inauguratio fit Westmonasterij ad Londinum, die XXV. Julij. Detecta eodem anno nefaria quorundam in Electorem conspiratio est, qui paulò post comprehensi atq; in vincula conjecti sunt. Unus istorum machinulam in Principem directam loco quodam cis Comitibus Hanam aspero ac sylvestri, ad III. diem April. dubia luce displodens, aberrante iectu in insequentium potestatem pervenit: Ejus corpus anno tertio post candente ferro contusum, inq; partes quatuor dissectum, alter rotæ impositus est. Principibus qui in timore Dei ambulant, cœlitus demissi adfunt angeli, custodientes arborem, sub qua Christi Ecclesia quietem, cives umbram & fructum capiunt (Daniel. 4.) Octobri mense Inclita Electoris Coniunx Hamburgum salutandi Serenissimi Regis fratris causa proficiscitur, cui ut & Holsatia Ducibus homagium à civibus



bus præstatur, pro prid. Calend. Novembris Casari in benevolentia ac fidei testimonium duodecim tormenta bellica, omni apparatu instructa dono mittit Elector ineunte Septembri. Illustrissima mater Sophia dotalitium suum petitura Dresda excedit 4. Maij: Hedwigis autem Electoris conjunx sextiduo post Stolpenam arcem aditura, everso curru brachij radium frangit cisiarij incuria, qui ob id pœnâ justâ afficiendus, exorante Electorem illustri conjuge, servatur. Libenwerda in Lusatia confinio ad 12. Septembris XV. ædificia intempesta nocte cremantur præsentem Electore: qui idem hereditariam divisionem inter Aldenburgenses ac Vinarienses Duces agnatos VI. Calend. Novemb. susceptam auctoritate ac consilijs moderatur: missis ad loca illa Burchardo Schenck Barone, Cancellario Pölnicio & Doctore Eichmanno. Ernestus Brandenburgicus Marchio Electorem Lichtenbergæ salutat XIII. Novembris, reverso jam ex Ducatu Wirtembergico Johanne Georgio fratre, Præsulatus Mersburgensis Administratore: quæ dignitas Majo mense perhonorificè ipsi delata ac confirmata fuerat: quemadmodum Augusto fratri Zizensis ac Numburgensis Diaces. gubernatio anno 1608. Misnensis verò, (quæ ingenua olim appellata fuit) ipsi Electori nono ætatis anno, à Christi scilicet in terris ortu: 592. cesserat, summa omnium voluntate & applausu.

Anno 1604. Dresdam Februario mense appellant Iohannes Fridericus Dux Wirtembergicus: Christophorus Dux Lüneburgensis & Elisabetha Heinrichi Julij Ducis Brunsvicensis & Lüneburgensis illustris conjunx. Prid. Non. Martij Interboigi conveniunt Elector & Ioachimus Friderichus Brandeburgius, de maximi momenti rebus fraternè consultantes. Reversus Dresdam die nono ab Aequinoctio Verno Princeps in febriculam incidit, tertio quoque die recurrentem, cum ante id tem-

1604.

poris vix ullâ corporis aegritudine fuisset tentatus (nisi quod die undetricesimo Martij anni Iubilæi 1600. difficili morbo subito correptus fuit, à quo tamen postridiè liberatus est, haud absque evidenti protectionis divinæ testimonio, Quod memori mente agnoscens ad sobriam magis vivendi rationem se recepit.) Reliquit Principem Febris Mense Aprili, quo nomine Deo prepotenti omnia reddidit Dominica à Paschate proximâ, die videlicet mensis XV. quo dictis publicè summâ animi devotione precibus, festivâ populi acclamatione in Arcis templo spectandum se præbuit, & Cœnæ mysticæ usu, quod singulis panè trimestribus consuetum ipsi fuit, refecit. Nuptias eodem anno ad diem XVI. Septembris Dresdæ splendide celebrat Illustrissimus Johannes Georgius Saxonie Dux Electoris frater, cum Sibylla Elisabetha Friderici Ducis VVirtenbergici filiâ, lectissima Principe, A cujus obitu, qui in diem XX. Januarij anni 1606. incidit, ad secunda vota descendit, inito cum Magdalena Sibylla Alberti Friderici Brandenburgi Prussie Ducis filiâ illustri, matrimonio, die XIX. Julij anno 1607. Torgæ ad Albim. Fuit hic annus Monti Divæ Annæ fatalis, qui cum publico privatoq; urbis ornatu, præter summum templum XII. horarum spacio totus in cineres abiit, die 27. Aprilis. Editus est de miserabili conflagratione libellus, quo Epistolæ à diversis scriptæ XVI. Threnodiæ autem XXX. continentur, cum commonefactione ad Senatum populumq; exusta urbis. Suppetias ad illius instaurationem pro innata animi bonitate haud exiguas confert Elector. Exceptit eadem calamitas & Thermas Carolinas, Bohemie oppidum, quod oborto temerè incendio totum in flammam subsedit Mense Augusto. Luctuosus idem annus Principum quorundam

familij.



familijs. Ernestus quidem Fridericus Badensis Marchio placidè in Christo obdormit die XIV. Aprilis: Iohannes Comes Palatinus Rheni, Bavaria Dux, Comes Veldentia & Sponhemia, Comes Bipontinus, die XI. Augusti. Subsequitur eum octavo die post frater Otto Henricus Palatinus Rheni, qui Sultzbachij aula sedem habuerat. Ludovicus autem Hassia Landgravius ad VII. Id. Octobris, ætatis anno LXV: Sigismundus Polonia Rex paterno avitoq; Suecia regno excidit, Carolo Sudermannia Duce in Regem electo ac solenniter inaugurato: quæ res novis tumultibus ansam præbuit. Cometa ad diem III. Octobris in Dodecatemorio sagittarij primùm apparere cœpit, cum aère turbido ac pluvioso prius observari nequivisset. Ad diem 18. Septembris chasma dira specie circa nonam vespertinam conspicitur, ut & die 33. post. Homines circa Mundi finem lethargo laborantes sensuumque propemodum beneficio destitutos (ἀπληγνότης dixerunt Graeci) vel prodigijs excitari vult divinum Numen ad vitam juxta sanctissimum ejus Verbum piè recteque instituendam. Cum Electore de varijs rebus consilium inituri Dresdam veniunt Ulricus Holsatia Dux, Ludovicus & Philippus Hassia Landgravij, & hi quidem mense Octobri, ille ad XV. Martij. Nuptias verò Celsissimi Ducis Iohannis Georgij ornatissimâ suâ presentia cohonestant: Iohannes Dux Saxonie, Iohannes Fridericus Dux VVirtenbergicus cum Inclyta Matre, Erdmudis item Pomerania Vidua cum altera Aldenburgensi.

Iterum confluunt Ordines ad conventum Torgæ indictum 1605. an post, nempe 1605. Julio mens: Quo quidem multa & præclara

in deli-

in deliberationem venerunt, annuæq; pensiones, Ordinum consensu adauctæ sunt. Liber à magni nominis Theologo statibus propositus, qui publicatam sub Augusti Electoris gubernatione rerum Ecclesiasticarum Νόταξιν quadam ex parte declararet, nec nullis in locis pleniorẽ redderet, quadam verò, quæ vix in usum vocari queant, vel emendaret vel tolleret. Verùm cum essent, qui rem aliter atque sensisset scripti author, interpretarentur, ac nescio quid novationis subesse existimarent, scriptum ad authorẽ suum redijt. Tentavit eodem anno Samuel Huberus Theologus haud incelebris pacificationem cum Theologis in Electoratu Saxonico instituere, super Christiana religionis articulo de Electione, de quo acres annis superioribus moverat controversias. Verùm quia neq; agnoscere errorem, neq; concordiam spectare seriò videretur, res eventu caruit: Huberus ipse Erphordia primùm, dehinc in Moguntinensi urbe, tandemq; Goslarie ad Bructeros montes vitam privatus egit, nisi quòd scripto publicè edito Bellarmini argutias resellendas suscepit: Quod idem Iacobus Reneccius Aula Brandenburgica Concionator, post Hamburgensis Ecclesie Pastor eximius prestare annixus est, cujus scriptum Theologorum iudicio Princeps subiecit. Diem hoc anno supremum obit Johannes Saxonie Dux prid. Calend. Novemb. susceptis ex Dorothea Maria Anhaltina, octo heredibus masculis, Iohanne Ernesto, Friderico, Wilhelmo, Alberto, Iohanne Friderico, Ernesto, Friderico Wilhelmo, Bernhardo & filia unica, Iohanna paulò post defuncta. Constitutus illorum Tutor Christianus II. delegatum munus præclarè obit, agnati industrij ac fidelis officio, bonorum omnium testimonio, recta voluntate piè persunctus. Eum Henricus Iulius Dux Brunsvicensis in arce Annaburgk salutavit mense Aprili: Iterùm die undevigesimo Iulij, à quo tempore


cum

cum Electore amicissimè versatur ad diem usque 3. Septembris. Nec multò post magno discrimine Brunsvicensis civitas liberata est. Dissensiones inter Academicos & Senatum Lipsiensem Electoris auspicijs transactione mutua sopiuntur mense Februar. Conspiratio in Angliæ Regem ac Regni Ordines suscepta, Deo stante à suorum partibus mirabiliter detecta atque elisa est, pertractis ad supplicium conspirationis authoribus. Res videlicet docet, plus periculi imminere Regibus ab ijs, qui vel genere vel amicitis vel officiis proximi sunt, quàm hoste ipso: quòd hîc belli vis urgeat, illic insidiæ. Hermannus Christophorus Ruswurm vir memorandæ virtutis ac felix imprimis bellator ob interfectum Franciscum Iohannis Iacobi Beliogiosæ Comitis fratrem, Praga Bohemorum capite truncatur pro pridie Calend. Decembris, frustra intercedentibus apud Imperatorem quibusdam Germaniæ Principibus, qui ob res adversus communem Christiani nominis hostem feliciter gestas vitâ ipsum donari maluissent. Sunt qui affirmant, divinam nemesis ad vitæ terminum virum, qui haud paucos amicorum interemerat, pertraxisse: præsertim cum ejurata religione, qua à prima ætate innutritus fuerat, ad erroneam defecisset. Die XI. post chasmatetri aspectus cum ingenti radiorum vibratu aëre tranquillo atq; egelido totâ nocte conspicitur, die nempe Decembris XI. Torgæ Electorem salutat Illustriss. Iohannes Sigismundus Brandenburgicus Marchio, die IX. Novembris.

Anno subsequente, qui fuit à Christi Salvatoris ortu 1606. 1606. Republicæ constituendæ causa comitatum Hennebergicum Princeps adit Ianuario mense jamjam ineunte, ubi contractam cum Electore Moguntino prius amicitiam confirmat. Reddit eodem vere jam adulto, ferarum venationibus, quarum

copia in immensum creverat, operam daturus aestivis mensibus: Muniuntur absente Principe loca Misnia insigniora praesidio, Dresdam tuente inclyto Barone VVolfango Schönburgio in Penick. Franconia Orientali comitatus Hennebergicus accensetur, nemoribus, agris, pascuis, feris, ceterisque rebus ad vitam commodè degendam necessarijs abundans: Visurgi amne rigatur, quem incolae VVerram, rectius VVeseram appellant, Eà verò parte, quâ Ortum aestivum respicit, saltu Thuringico clauditur: Latus Australe Bambergensis ac Herbipolensis Dioceses cingunt: Occidentalem partem montium tractus excipiunt, qui Fuldensem Diocesisin Hassiaeq; confinia à comitatu disterminant: Ferrum copiosè fundit, quod in finitimam Schmalcaldiam illatum varijs usibus se accommodat: In ipso verò comitatu praeter Schleusingam Scholâ celebrem, Meinungum aliaq; oppida frequentia & copiosa, Sula oppidum est, in quo Cannæ ferrea Sclopedis parandis idonea ingenti numero quotannis fabricantur. Alit provincia ob pabuli ubertatem ovium greges, habet piscosos fluvios, agros fœcunditate, aërem salubritate commendabilem. Comes Bertholdus virtute animiq; dotibus clarus ab Henrico Lucelburgio Imperatore consentiente Electorum collegio, in senatum Principum Imperij allectus est anno Christi 1310: A quo longâ serie decurrens Principum Hennebergicorum prosapia in Georgio Ernesto tandem defecit, qui anno 1583. die XXVII. Decembris vitam beato exitu clausit, nullâ prole relicta, aetatis annum agens LXXIII. Princeps pius, magnanimus tantâq; in cives clementiâ, ut Patris nomen apud bonos omnes mereatur. Cessit Ducatus vicinis Principibus. Incolae simplici-

itate



citate gaudent & prisco Germanorum cultu, lingua utentes
 Francicâ & Thuringicâ. Aestivi menses imbribus crebris for-
 midabiles magnam vini locis omnibus penuriam secum tra-
 hunt. Electorem ad X. diem Augusti Christianus Brandenbur-
 gicus Zilpachij inuisit: ad septimum verò Septembris Pabe-
 bergensis Episcopus Schleusingæ. Jesuitæ ob avaritiam &
 contumaciam Venetijs, ob seditiosas molitiones ex Anglia,
 excedere coguntur: Adeò gravis locis omnibus est factio
 hæc, cui peculiare ac proprium, In confessione hominum ar-
 cana scrutari, concionibus tribunitijs bella, cædes, seditio-
 nes spirare, In eorum, qui morti propinqui sunt, fortunas invo-
 lare, Aulis denique ac Principum consilijs se molestè ingerere ac
 pro libitu imperare magistratibus.

Scripsi suprâ, qua fide Casaream Majestatem comple-
 xus sit Princeps & quantopere ipsi cura ac cordi fuerit, ut
 sua Imperatori incolumis ac illabefactata constaret authori-
 tas. Id verò ut majori documento testatum redderet, per
 superiorem Lusatiam Pragam quingentis stipatus equiti-
 bus contendit anno 1607. mense Junio, ubi magnificè ha-
 bitus ac benignitate summâ dimissus fuit, cùm Polycarpus
 Lyserus vir clarissimus, Principis jussu homilias duas publi-
 cè ingenti populi concursu de gratuitâ hominis peccatoris
 Iustificatione, deq; fructibus, qui justificatos sequuntur, in
 Rosenbergij palatio nervosè ac piè juxta fidei analogiam
 habuisset. Eas postea Decumanus quidam virulentis ar-
 rosit morsibus, frustra noctem inducere laborans nitidissi-
 mæ luci, hoc est, mendacia puræ atque invictæ veritati.
 Quòd verò lues popularis Dresdam, *ωοεγάδην* carperet,
 in reditu Torgam secedit Elector, ac more majorum

1607.

aula sedem eò transfert, ubi nuptias cum Magdalena Sibylla Alberti Friderici Prussiae Ducis filia magno apparatu celebrat Dux Saxoniae Iohannes Georgius, ut paulò antè commemoratum. Berlinum ab avunculo comiter invitatus urbem die XXIV. Octobr. ingreditur, ubi inter cetera *Jeûs*, quae in ipsius gratiam amicissimâ voluntate instituta sunt, haud absque iucunditate vidit, è lacu Finano bis mille, octingenta viginti Amiarum (Vvelß nostri vocant) capita extrahi, quarum quaedam LX. plurimæ ultra LXXX. nec paucæ C. libras pondo continuerunt: Luciorum verò miræ granditatis ingentem numerum. Dresdam redit die Decemb. XV. Idem hic annus de Procerum consilio forum Ecclesiasticum sustulit, ac supremum Consistorium, quod Christianus I. Misenam redire iusserat, Dresda auspiciò iterum erexit, initio factò die pridiano Matthiae Apostoli, ac praeside constituto Iona à Quingenbergk in Auma, viro nobili & praclaro, qui idem Electori à consilijs est.

Comitia à Rudolpho Imperatore iterum aguntur Ratisbonae confluentibus Procerum Imperij Legatis magno numero, Caesaris verò locum tuente Ferdinando Archiduce Austriae. Multum fuit deliberationum, aspera item & minimè amica-bilis nonnunquam Commissariorum coitio: Veruntamen infestis rebus iterum discessum est, cum comitia in annum fermè integrum fuissent protracta. Legati ab Electore mittuntur Philippus Ernestus Mansfeldiae Comes, Esaias à Brandenstein, Wolfgangus à Lüttichau & Iohannes Timæus Episcopatus Numburgensis Cancellarius: Capita ad deliberandum proposita fuisse dicuntur: I. Pacandam esse Hungariam ac refrenandam Turcorum rabiem, quae anno supra sesquimillesimum nonagesimo subito ac citra causam exardescens multò jam enor-mior ac atrocior reddita sit tumultibus à Stephano Botschkay excitatis:



excitatis: capiendum itaq; maturè consilium de redintegrando inq; plures annos ducendo bello. II. Justitiæ ac Juris proces- sum in Imperiali Camera recognoscendum, inq; integram resti- tuendum esse. III. Adjecta fuit deliberatio de sedandis Bel- gicis motibus, de re nummaria: de sessionibus Imperijq; ma- i- cula restituenda. Verùm in auras ac ventos magna ex parte abiit (ut dictum) consultatio. In Anglia exacto Ianuario ven- tis immaniter spirantibus mare alveos egressum in insulam se effudit tanto impetu, ut ingens hominum pecorumq; multitudo perierit, ac multi pagi, vici, oppida vastata sint, in primisq; in Somersætia & Nordfolcia, depressioribus Regni provincijs; ex quo etiam factum, ut periculo se eripere incolæ nequiverint, cum perpetua ac propemodum inoffensa agrorum ijs locis sit pla- nities. In Misnia haud exiguam VVurcena atq; Coldicij, ut an- no proximo post Pirna, se viciniam lues popularis exercuit: con- sumtis ferè ter mille hominibus utriusq; sexus; Nec immunes prorsus à lue fuerunt Lipsia & Torga; Atque hic morbus annis subsequentibus recrudescens Naumburgum, Leucopetram tan- demq; anno 1611. Misenam, Zizam aliq; oppida, pagos, vicos vehementer adflixit. Augustus Bavariæ Dux, Comes Palati- nus ad 19. Sept. Torgæ in visis Electorem, qui paulo post in Mar- chiam contendit invitatus ab Electore, ut supra exposui.

Anno sequente Ordinum legati de rebus ad communem patriæ salutem pertinentibus amice tractaturi Fulda in confi- nio Hassiæ, iterum, ut & anno 1606. conveniunt. Legati à Prin- cipe mittuntur Schönbergius, Pölnitzius & Timaus viri nobi- litate, doctrina, usu rerum atq; auctoritate eminentissimi, idq; mense Julio, quo & visitationem Ecclesiarum per illustrem di- tionem Princeps jubet institui, Cumq; sopito jam bello Turcico ac pace cum Achomathe Majo mens. firmatâ ob motus in Panno-

1608.

niâ ac Bohemiæ regno exortos haud immunes viderentur à periculo esse finitimæ regiones, vixq; in Imperio loca reperirentur, à tumultibus & seditiombus vacua, validum præsidium in Dresdensi urbe collocat, cives passim in urbibus armis instrui atque in procinctu stare jubet ad excipiendas quasvis hostium molitiones. Die XVI. Maij (ferijs secundis Christiana Pentecostes) Sophia templum fulmine tangitur, quo lapidea crux disiecta, inq; multas partes comminuta est: Nec multò post, ad 2. videlicet Augusti Templo vetero-Dresdensi damnum infertur, quod cum omnino sarcendum esset, occasionem præbuit civibus turrim Templo adjunctam altioremfaciendi, id quod haud exiguo sumtuum impendio factum anno 1609. Dresdam è Pannonicâ expeditione redierat Inclytus atque illustrissimi generis Princeps Udalricus Holsatiæ ac Norvegiæ Dux, inclytæ Principi sorori, Hedwigi Electoris conjugi, manubias haud ingratas offerens, Turcicam mulierem celebri familiâ ortam cum filia novem annorum puella. Hæc in Christiana fide solerter ac piè informata, jubente Electore, approbante autem Ecclesiâ aulicâ baptismo ipso hoc anno Majo mense initiatur, Elisabethæ Hedwigis nomen sortita, cum prius scabro vocabulo Haddize dicta fuisset. Mater religionem Christianam toto pectore aversata, Principum ac ministrorum verbi hortatu conciones in templo arcis, loco semoto audiens, accedente institutione, haud multò post ita à Christi spiritu illuminatur, ut & Mahometicam superstitionem spontè ejuraret, seq; Christianam corde ac ore profiteretur. Hinc anno subsequente in Saxoniæ Ducum aliorumq; magnatum presentia ad diem V. Martij, Dominicâ nempe Invocavit in arcis templo solenni ritu sacro Ba-

ptismatis



ptismatis fonte lustrata est, Christina Elisabetha nomine
 indito. Ita autem ab eo tempore Christi & verbi ejus amo-
 re flagravit, ut & concionibus piè ac devotè audiendis, inq̄
 Dei cognitione proficiendo indies, orando, fidemq̄ sacrae Ev-
 charistiae perceptione subinde erigendo pieq̄ atque honestissi-
 mè vivendo exemplo ceteris sit, qui ministerij causa in au-
 lâ versantur: Idq̄ Celsissimam viduam Electoralem permo-
 vit, ut post beatam Christiani II. è terris migrationem
 Lichtenbergam eam secum abduceret. Multis tùm in-
 mente fuit illud Propheta: Si fuerit populus tuus Israël
 quasi arena maris, reliquiae ex eo convertentur (Esai.
 10.) Cujus pronuntiati sententia est, Immensum ac penè
 inestimabilem esse Israëitarum, eorumq̄, qui se Abrahae fi-
 lios nuncupari gaudeant, numerum: Veruntamen cùm in-
 incredulitate multò maxima pars malitiosè persistat, plaris
 faciens caecam ignorantiae errorisq̄ caliginem, quàm splendi-
 dum Evangelij jubar (Iohan. 3.) adeoq̄ Dei consilium im-
 probè aspernetur (Luc. 7.) nihil mirum accidere, si justo
 Dei judicio ob pertinaciam reijciantur, ijs servatis, qui Chri-
 sti fidem amplectentes seq̄ gratiae ejus sceptro humiliter sub-
 mittentes (Psal. 2. 110.) salutis aeternae fiant participes.
 Quod apud Amosen Prophetam capite 3. est, duo de Leo-
 nis ore crura extremumve auriculae eruere: apud Esaiam
 & Michæam, paucos ob Vinearum sterilitatem racemos colli-
 gere, hoc est, Israëitarum, uti & gentium infidelium nonnul-
 los ad salutarem Dei agnitionem convertere (Esai. 65.
 Mich. 7.) id quod locis plurimis hodieq̄ fieri consuevit,
 ut & abyssus misericordiae Dei conspiciatur, suaq̄ verbo vis
 constet & veritas, quo dicitur, futurum tandem, ut gentium

ω λήρω-



τὸ λήρωμα intret, totusq; servetur Israël (Rom. 11.) Neq; enim
 ita universalis, fixa ac immota, sive Iudeorum sive gentilium
 excœcatio est, ut nullos tanto in numero salvari velit Domi-
 nus: Quin locis omnibus ac semper se offerunt, qui illuminante
 Dei spiritu efficaciter amplectuntur, quod pertinaciter prius
 repudiârant. Legati à Casare hoc anno Dresdam veniunt V Vil-
 helmus Fürstenbergius die XV. Martij, Georgius Fridericus
 Comes in Hoenloë & Andreas Hanewald mense Aprili. Ex
 Principibus autem Electorem conveniunt Marchio Brande-
 burgicus Elect. in castro Annaburgk 9. April: Fridericus Chur-
 landia Dux Majo mense: Ludovicus Comes provincialis Has-
 sia Julio: Philippus deniq; Iulius Pomerania Dux ad XIX. No-
 vembris. Augustus verò Dux Saxonie in Diœcesis Zizensis
 administrationem solenni ritu immittitur die Julij XIV. qui po-
 stridianus fuit D. Margareta. In Lusatia superiore Sittavia
 incendio vastatur die Mayj XXVIII. consumtis paucarum hora-
 rum spacio quingentis & septuaginta edificijs: In Misnia Mutz-
 schena & Donavia damnum à flammis ipsa quoq; perpeſa sunt
 18. Martij & 13. Decembris.

Anno ad finem vergente Pragam quidam appulit, qui
 se Sultanum dixit, Sultani Machmeti Turcorum Imperatoris
 ex Helena quadam Græca filium, sed fratri Sultano Ahmet, qui
 regnum adeptus fratres reliquos obtruncari jusserat, octavo
 ætatis anno clanculum subreptum, inq; Græciam, Archipelago
 transmissio, à matre translatum: postea verò peragrata Mace-
 doniâ Theſſolonica in Anastasia monasterio Christianâ fide im-
 butum ac baptisate tinctum Simeonis Ottomannidæ nomen
 accepisse: Nec multò post Monachi Græci habitu Constantino-
 polin venisse spe Imperatorij adipiscendi, cum Sultano Acoma-
 te ætate esset superior: Sed spe sua frustratum, exercitum colle-

gisse



gisse armisq; fortunam experiri constituisse: Verum dilabente paulatim milite & ad partem adversam transeunte, fugam salutem quasi visse atq; ita paulo post Pragam Bohemiae metropolin applicuisse. Literas ad Electorem mittit instantibus jamjam ferijs Natalitjs, Græcè quidem, sed ineruditè admodum scriptas: quas Principis jussu aula concionator interpretando latinas fecit hunc in modum:

Admodum pio doctrinaq; puriori addictissimo juxta & maximo universe Saxonie Duci, Sultan Simeon Ottomannides felicia omnia precatur.

Scribere libet ad Celsit. Tuam perbreve & humilimum verbum, quod molestum Tibi non erit, religiosissime Princeps, quandoquidem conveniens ac congruum, Deoq; inprimis gratum opus esse duco, ut rectè sentientes Christiani Veritatem profiteantur, sintque animis prompti ad exercendam misericordiam & judicium. At vah illis, qui Christianorum nomen quidem gerunt, sed Christi opera non perficiunt. Cæterum quæ ad vos eloquor hæc sunt. Norunt omnes Christiani ex familiâ meâ Ottomannica neminem inventum fuisse, qui Christianis amicum se præbuerit. Verum cum Græcæ lingvæ cognitioni operam darem, Cor meum in Christi amorem tractum est, juxta Davidis Prophetæ effatum, qui inquit: Quemadmodum desiderat Cervus ad fontes aquarum: sic anima mea suspirat ad pietatem: certò futurum sperans, ut pij glorificentur, Impij verò ignominiâ ac probro afficiantur; quandoquidem & mali Christiani, qui bonum Christi opus odio habent, digni sunt anathemate: Attamen Potentissime Princeps summo desiderio teneor, ut vel

duo vel tria verba ad Tuam Celsitud. loquar: quando-
quidem Regis ministri immites sunt, nec facile ad
ipsum (*αὐτοκράτορα*) datur accessus. Proinde in viam me
rursus dare constitui: Ducem se mihi præbebit Deus in
Trinitate celebrandus. Audio tamen ô piissime, quòd
magna tibi libertas sit ad Imperatorem loquendi, in-
primisque quod pius sis & orthodoxus: Et propterea
jucundum auditu est, quod ad animi tui iudicium ser-
mones pervenerunt, qui de me jaçantur. Et sanè de
regno meo disquisitionem institui facile permitto.
Vbi Deus me in solium paternum collocaverit, major
inter nos jungetur amicitia. Ac si cupis, ut ad thronum
tuum accedam, mitte ad me, oro, venerandam tuam
Epistolam: Sin minus, volumus amicitiam & dilectio-
nem colere per Epistolas. *Vale.*

*Sultan Simeon Augusti Servus Dei; Et rursus: Admodum pio Chri-
stiano & summo per universam Saxoniam Principi, debito
cum honore & observantia in manus tradatur.*

*Responsum in re admodum arripiti & dubia non requiris
Lector: cum minimè leves conjecturae essent, Sultani hujus
dictis haud temerè fidendum: Id quod in alios plures competit,
qui se Græcos comminiscuntur, Germaniæq; provincias pecunijs
emungunt: de quibus compertum est, suos habere diversis locis in
excutiendis civium loculis socios & quosdam veluti mancipes,
nec nullibi etiam uxores, sæpèq; semestri aut annuo spacio in una
provincia, diversis tamen oppidis moram trahere, quæq; ipsis
præbentur, potando, ludendo, pergracando, aliæq; indigna pa-
trando decoquere, ad omnes religiones se inflectere, multisq;
haud parum molestia conflare, adeò ut plurimi opinentur, Rus-
sos plerosq; esse aut certè Cingaronum, qui & Cincli dicuntur, so-
cios, nec rarò Turcorum ac Tartarorum speculatores: Responsum
tamen*



tamen est huic (ut creditum fuit) Sultano , ut nec de amicitia Electoris multum gloriari, nec de inhumanitate optimi Principis conqueri posset. Sanè quidem altissimum ab eo tempore de ipso silentium fuit, nisi quòd à Magno Hetruria Duce classi praefectus fuisse dicitur, ad coercendas Turcorum pyratarum excursiones.

Verùm ad nostra ut redeam , Illustriss. Princeps ac Domina, Domina Magdalena Sibylla, Inclyti celsissimiq; Saxoniae Ducis Iohannis Georgij conjux difficilimo partu prolem masculam enititur, sed mortuam, nocte sequente diem XVIII. Iul. Conditur postrid. Iacobi Apostoli in Principum tumulis Fribergae. Annus 1609. proximè subsequens Comitijs celebris est, quae magnam ordinum frequentiam tertium aguntur Torgae mense Septembri, reverso è locis montanis Electore, ubi ingentem ferarum numerum, imprimisq; circa Aurobachium cervum praegravem, octo centenariorum pondere, confecerat, cornibus in XXIV. ramos jucundo spectaculo brachiatis. Comitiam in provincijs non modò usitata semper fuisse, sed pro unico malorum & calamitatum publicarum remedio habita, nemo ignorat. Certè qui populum libertatis iure, legumq; ac consuetudinum auctoritate, privilegiorumq; beneficio privari nolunt, quod ab ijs aliquando fieri consuevit, qui pro libidine in corpora & fortunas subiectorum tyrannidem exercent, eos sanè uno ore fateri oportet, omnem provinciarum dignitatem, decus & commodum à comitiorum ratione pendere. Quò minùs mirandum, Inclytos Saxoniae Duces Comitiam & indixisse crebrò, & secundum jus fasq; in ijs salubriter multa constituisse. Convenerant Februario mense Dresda, Iohannes Casimirus, Iohannes Ernestus Saxoniae Duces, Electoris agnati, itemq; Christianus Marchio Brandenburgicus cum alijs magnatibus: quorum in gratiam, post institutas varijs de rebus consultationes adprimè necessarias, spectacula cum

equestribus certaminibus ingenti apparatu instituuntur. Nec multò post Regni Bohemiae statibus exercitium religionis conceditur, ac Casareo diplomate in perpetuum confirmatur, causam piam & Christi Ecclesiae salutarem haud parum provehente Electore, qui idem per amplissimum Ducatum καεσιςερα Deo reddi jubet pro beneficio Bohemis concessio. Legatos hi ad Electorem miserunt Ioachimum Andream Slick Comitem in Passaun & VVeiskirchen, Fridericum à Bila, Iohannem Abrahamum à Salhausen, Casparem Lucium & Iohannem Kirchmeierum Iudicem in veteri Pragâ Casareum, viros generosos, nobiles planeq; eximios, obnixè rogantes, intercessionem apud Casaream Majestatem fieri pro concedendo statibus repurgatae religionis exercitio. Annuit clementer Elector, missisq; ad Imperatorem Legatis cum literis officij plenis animum ipsius pietate rerumq; caelestium curâ haud leviter tinctum flectit, ut responsum ordinibus tandem ex voto daret, praesertim cum Electorum Legatis juncti ipsi quoq; Regni ordines precibus humiliter instarent, ac nisi in justam & modis omnibus piam, salutiq; animarum provehendam imprimis congruam petitionem consentiretur (in quo Pontificiorum inquietiores pervigili studio satagebant) res aperte ad arma defensoria spectare videretur. Et sanè ab eo tempore, inestimabili Dei beneficio Caesaris autem concessione, non modò Germanico idiomate Conciones Praga habentur, sed & religionis Orthodoxae exercitium viget suisq; floret successibus (quod cum ad Ungarorum preces multâ subiectione factas laudatissimus Imperator annis superioribus (obstante Pontificiâ cohorte) idem concedere diutiùs paulò cunctaretur, per totum illud regnum factè tumultuatum est, arma capiente Stephano Botzscay de Kasmaria, collectoq; exercitu Pontificiae factionis vim atq; injurias acriter retundente,

qui




qui tumultus tandem Rege novo creato, concessōq; libero religionis usu paulatim sedati sunt) Bohemorum est consilio res magnas suscipere, quæ iusta ac recta sunt, ingenti animo exequi, nullis periculis cedere, in rebus gerendis providè accelerare, ad arma si ventum est, acres se præbere ac propemodum invictos. Multum disceptationis tum fuit inter Lutheranos ac eos, qui cum veritatis assertores ipsi quoque videri velint, clandestinum tamen cum Pontificijs faciunt, rectène an secus factum videatur ab Ungaris, quòd cum aliâ ratione repurgata doctrine usum obtinere non possent atq; insuper vim adversus Evangelicos duce Ioh. Iacobo Barbiano Belioso Comite manifestam parari cernerent, non tam adversus Magistratum, cuius authoritas sacrosancta haberi debet, quàm Papisticam colluviem, quæ magnatibus pro libitu dominatur, suumq; facit Regum imperium, ad Dei ipsius gloriam asserendam salutemq; animarum provehendam insurgere ausi sint: Idq; statuere haud difficile est, licet utrâq; ex parte rationes afferantur minimè leves aut aspernanda. Lutheri effatum adscribere placet, quod sic habet. In parenesi ad Germanos: Apertè profiteor, me neque ad arma capienda, neque ad seditionem aut defensionem suscipiendam cuiquam authorem esse velle, sed ad pacem solummodò tum quærendam, tum consecrandam: Quod si tamen Papistæ spretâ ac repudiatâ Pace suis abominationibus contra Spiritum sanctum rabiosè tumultuantes bellum parant atq; reinfeliciter gesta cladem accipiunt, publicè testatum volo, minimè id à me ortum nec causam ullam præbitam fuisse, sed suis ipsos id omne debere consiliis: Sit sanguis eorum super ipsos, ego excusatus esse volo, ut qui meo loco quod debui, fideliter feci: Judicet in poste-

rum is, qui & vult, & debet & potest iudicium ferre, qui etiam non cunctabitur nec errabit. *In libello adversus Georgium Ducem edito (pag. 303.)* Si Cæsar aut Magistratus contra Deum ac jus fasque ad arma descendit, nemo ipsi obtemperare tenetur: *Et post pauca:* Posito, expeditionem adversus vos susceptam esse, disertè tamen affirmo: Si eo fine id faciunt: *Evangelici*) ut adversus sanguinarios illos, qui contra Deum contraque justitiam sanguinem innocentem effundunt, se defendant, minimè passurus sum ut seditionis rei agantur. *Et paulò post;* Quia Lutherani nemini nocere cupiunt, sed pacem expetunt, Papistæ autem pacem respuunt, & arma munitantur, idque adhuc agunt impensè, ut jam aliud ab ipsis nihil expectandum sit, nisi bella & cædes, Ea igitur pars, quæ pacem petit, nec impetrat, si defensionem paret, quod nec jubeo nec fieri veto, haudquaquam seditiosa appellanda est. *Et rursum:* Quod Lutherani adversus vos attentant, nec probo nec reprehendo, sed neque seditionem appellari volo, sed defensionem solummodo.

Circumferebatur Epistola à civitatis Cassoviensis præfæctis pridie Calend. Novembr. anno 1604, ad Ungariæ proceres missa: in qua hæc insunt: Sub eo colore ipse (*De Johanne Iacobo Barbiano Religiosa ipsis sermo*) omnem exercitum Imperat: Contra nos & Botzsekay vertit, ejusque arces intercipere voluit, eo animo, ut ipso deleto alios etiam magnates Regni opprimat. Quæ quia in desolationem Regni & perniciem animarum nostrarum tendebant, ampliùs ferenda non fuerunt, sed hæc injuria armis vindicanda fuit. Insurreximus igitur

TUR



tur & propter fidem Christianam, propter nomen Je-
 su Christi, propter dulcissimam nostram patriam arma
 sumimus: & *quæ sequuntur*. Et sanè in ore tùm fuit omnium,
 Ungaros ad arma capienda descendisse, non quidem, ut excus-
 so odiosè Regum jugo in libertatem se assererent, aut suas
 facerent Regni provincias: Sed ut vim religioni, patrijs lavi-
 bus, fortunis illatam vi alia generosè propulsarent. Eaquæ res
 fidem habitura videbatur, nisi Stephani Botzskay miles ca-
 dis avidus tàm in Lutheranos quàm Pontificios Germanos in-
 primis, ingentem sevitiã exercuisset, ipsequæ etiam Impera-
 tor scripto prolixo, Januario mense anno 1605. publicato
 typisquæ subjecto & ad Electorem misso aliud retulisset. Quan-
 quam minimè dissimulandum, Inclytos Germania Principes
 pro sua prudentia facilè subodoratos, tumultus Pannonios à
 Jesuitis (qui vel Casaræ Majestati nequiter illudunt ac fu-
 cum improbè faciunt) magnâ ex parte fuisse exortos. Sic enim
 ad magnum quendam Principem scripsisse reperitur Magna-
 tum quidam Augustanæ Confessioni addictissimus: Quis
 Imperatoriæ Majestati, Domino nostro clementissi-
 mo, adversus Christiani nominis hostem præclarè
 parras victorias turpiter ac nefariè è manibus eri-
 puit? nisi & quidem Jesuitici ordinis ejusquæ disci-
 pulorum instinctu. Hærebat in ipsis propemodum
 visceribus ac meditullio Vngariæ hostis cùm nume-
 rosissimo exercitu: Ibi tùm persecutionis telam or-
 diri placuit, qua factum, ut Agria, Transylvania,
 cum superiore Hungaria, VValachia & Moldavia
 Cæsareæ Majestati extorquerentur; ad quæ recuperan-
 da Germanicæ nationi ingentia equitum peditumquæ

auxilia

auxilia cum summâ vi auri impendenda fuerunt: Nec satis erat, Imperatoriæ Majestati præclarissimas victorias è manibus eripuisse, quin in Carinthiam, Carniolam, Styriam persecutionis rabies se infudit, adeò ut multi ditionibus illis excefferint, ipsaq; arx Canisia in Turcorum venerit potestatem. Et qui nam in causa fuisse censentur? quod Sacri Rom. Imp. status in proximis Comitibus, rebus omnimodè infectis Ratisbonâ discesserunt? nisi Jesuitæ, qui de pace Religioni concessâ, juratâ, validè confirmatâ scribere tamen ausi sunt, eam pro Interim, pro Dilatione, pro Tolerantia habendam usque ad concilium Tridentinum. *Et post pauca:* Meminit Dil. Vestra, ipsam quoque Austriam ultra citraque Ansin cum Vngariæ regno aliisque provinciis confœderatam esse. Quod si pari cum iis jure frui non conceditur, certè parti ei quæ læditur, ratione institutæ atque à Dilect. V. approbatæ unionis suppetiæ ferendæ erunt: Quod si subditus pro salute Domini sui vitam, fortunas ac sanguinem impendere paratus est, dolendum profectò, animam ipsius turbari ac onerari conscientiam. Certè Poloniae Rex Stephanus rectè dixit, si quando persecutionem in Regno quidam suscipiendam svaderet, Ego populorum Rex sum, non conscientiarum. Intellexit videlicet Rex laudatissimus, non ferro non igne propagandam esse religionem, &c. *Quæ eò commemoranda duxi, ut appareat, statuisse Inclytos Principes, non utile solum ac pium, sed & necessarium esse, sincerioris religionis usum concedere subditis, licet intra extraq; ditiones haud pauci reperiantur, qui ejusmodi concessiones Hungaris, Bohemis, Austriacis, Silesiis, Moravis, alijsq; piè*

& lau-

& laudabiliter factas aut rectè suggillant, aut certè invalidas
 minimeq; diuturnas fore jucundè sibi pollicentur: Cumq; aliud
 nihil sit, quod conceptæ opinioni obtendant, Statibus absq; di-
 scrimine Calviniana sectæ notam impingunt, à qua tamen
 plurimè longè alienissimi sunt: musitantès interim, graviores
 quàm unquam antea motus vel hoc nomine oboritueros, quòd à
 genuina Confessionis Augustana sententia discesserint. Nos etsi
 minimè istud inficiamur, Tamen si qui motus futuri sunt, ab
 AntiChristi Synagoga, minimeq; ab ijs profectum iri dicimus,
 qui verè ac germanè Lutherani sunt, quorum, locis commemo-
 ratis, Dei beneficio ingens numerus est. Nec dubitamus, ma-
 gnum Principem Michaëlem, qui in excubijs stat pro filijs sui
 populi (Dan. 12.) patrociniū suscepturum Ecclesie, ut & Sa-
 tanæ rabies infringatur & gloria sanctissimi nominis divini
 illustretur, multorumq; anima lucrifiant Christo. Ferre itaq; ac
 letari animis debebamus, si subditis legitimo modo urgentibus
 religionis veræ ac illibatæ exercitium concedatur: adeoq; regni
 Christi pomæria extendantur longiùs, nisi clancularij Papæ af-
 secte perhiberi velimus, in quos Dei illud enunciatum compe-
 tit, quo affirmatur, Quia tepidus es, & nec frigidus, nec
 calidus, incipiam te eijcere ex ore meo (Apocal. 3.) Die
 24. Augusti, qui Bartholomæo Apostolo sacer est, circa Solis oc-
 casum locis montanis imprimisq; circa Chemnicium Parelij con-
 spiciuntur: Expectabatur die postridiano, XXV. nempe ejusdem
 mensis, Principis Electoris adventus in arce Lichtenwalda,
 medio inter Chemnicium & Mitweidam itinere: Iamq; de co-
 mitatu suo Princeps quosdam præmiserat: Cum paulo ante sex-
 tam matutinam ingens ac insveta fulminum tempestas præ-
 dium quoddam rerum copiâ instructum, nec procul ab arce si-
 tum subito inflammat, ædificiaq; omnia, ut & frumentum ex

H

agris



*agris conveclum cum pecore, eo praesertim, quod pabulatum
 nondum exierat, quatuor horarum spacio consumit, magna &
 insolita ignis violentia, nihil levaminis adferente denso ac co-
 piosissimo imbre. Deprehensum est, in illud ipsum aedificium, in
 quod primum fulmen illapsum fuerat, alteram quoque horrendo
 fragore paulo post incidisse: aliaque quaedam Misnia loca, ad Mon-
 tium radices posita circa id ipsum ferè tempus fædis tempesta-
 tibus fuisse concussa. Sed ut ad Comitata Torgæ celebrata rever-
 tar, concionem in Arcis templo, primo statim Comitiorum in-
 gressu Polycarpus Lyserus Theologus instituit, quamvis ex mor-
 bo difficili, qui ipsum tandem ad tumultum duxit, vehementer
 langveret. Explicabatur ad Ephesinum doctorem (Angelum,
 more scripturae textus appellat) scripta Epistola Apoc. 2. cap. Da-
 videm virum sanctum Regiæ gubernationis temporibus
 comitata crebrò indixisse ac celebrasse, confluentibus
 nonnunquam è tribubus triginta millibus viro-
 rum. Morem eundem tenuisse Salomonem, Josiam,
 Assam, Josaphaten, Hiskiam & alios, quorum cognita
 è scripturis in Deum pietas, fides ac sinceræ religionis
 cultus. In conventibus autem illis Ecclesiastica non-
 nunquam negotia tractata fuisse, veluti, cum Arcam
 Domini Jerosolyman transferret David Rex, Salo-
 mon Templum dedicaret, Josias librum Legis Antisti-
 tum socordia temporumque injuriis vel amissum vel se-
 positum promulgaret: Nec rarò civiles causas in deli-
 berationem venisse; ut cum Josaphat Judicia consti-
 tueret, ac Leges salutares conderet, aut cum bellici in-
 gruerent tumultus: Aliquando verò & de œconomicis
 officiis sanctiones propositas fuisse, ut suis passim in re-
 gno res familiaris constaret successibus. Observarunt
 id ipsum (aiebat vir præclarus) Inclyti majores, ac vel ho-
 die*



die more receptum id habent pii Principes, causis non levibus adducti, quas animis expendentes subditi fideles minimè cunctanter ad conventus institutos confluant. Hunc in modum ducto Orationis initio ad rerum tractationem accedebat, BONA pariter MALAq; enumerans, quæ in Electoratu reperiantur. In BONIS (*aiebat*) primo loco habenda ea sunt, quæ Religionem ac divini numinis cultum concernunt. Qualia sunt, Repurgatio doctrinæ cœlestis, appetente Mundi vesperâ, R. Patris Lutheri ministerio, anno salutis humanæ 1517. feliciter inchoata, felicissimè perfecta: Deinde Ecclesiarum per illustrem ditionem constitutio cum verbi puritate à sectariorum fermentis Dei Spiritu potenter asserta: Scholæ præterea illustres, Mauricii Elect. auspiciis ad Albim, Salam & Muldam laudabiliter fundatæ: Quib. haud multùm aliquandiu cesserint eæ, quæ Senatoriæ dicantur, oppidis præsertim frequentiorib. ac copiosis. Florere etiamnum atq; in vigore suo esse Lipsiensem ac VVitebergensem Academias, munificâ Electorum liberalitate fundatas ac dotatas, proventu uberes, Legibus, studiis ac disciplinâ, virisq; in primis claris ac præstantibus admodum fulgentes, qui amplissimum hoc territorium luce suâ compleant. Nec cuivis obvium esse affirmare, quantum à curiis Ecclesiasticis, quas Consistoria dicimus, quantum è visitationis negotio, quantum ex librorum lectissimorum editionibus, cùm in aliis disciplinis omnibus, tum maximè in re Theologica ad Inclytum Ducatum commodi manarit: Quò tandem illud referendum veniat, quòd ad sarcienda de quibusdam fidei Christianæ


articulis, ijs præfertim, de quibus acriter diu certatum sit, piam & salutarem concordiam prima ac præcipua hisce terris jacta sint fundamenta. Cæterùm tot tantaq; summæ cum bonitatis tum utilitatis decora, ob quæ dignæ benefactori Deo gratiæ referri debeant, haud parum de statu pristino abiisse dolenter referebat, Primam illam charitatem ac illibatæ religionis amorem sensim labi ac ruinam trahere affirmans, cujus in locum in multorum animis succedat verbi fastidium, Scholarum ac doctrinæ contemptus, studium novitatis in artibus, disciplinis, lingvis, cum novâ, peregrinâ ac priscis temporibus ignotâ concionandi ad populum ratione, ad plausum potiùs ingeniorumq; ostentationem, quàm ad ædificationem Ecclesiæ comparata: Nec parùm aut latenter à nonnullis in abusum trahi jus Patronatus, quibus persuasum sit, haud multùm referre, siue doctos, siue rerum imperitos ac rudes, imò verò haud minimâ ex parte externos, præteritis iis, qui Principis liberali munificentia his in terris alantur, Ecclesiis scholisq; præficient: nec non Jurisdictionem sibi in eos, qui publicè docent, odiosè vendicent; cum ingens discrimen sit inter Jus patronatûs (quod Collatorum sit) & Jurisdictionem, quæ immediatè spectet ad Principem, qui eam Episcopali authoritate concesserit Consistoriis. Ad Civilia referri oportere dicebat Principes ipsos, quorum gubernatio plurimis in rebus hætenus fuerit saluberrima, Consilium aulæ publicum optimè constitutum, curias provinciales, itemq; Appellationum amplissimum forum & hujusmodi alia. Florere suisq; uti progressibus aiebat Justitiam, Pa-

cem,

cem, & quæ utroque ex fonte fluant vitæ status omnes concernentia commoda, usu jucunda, multitudine copiosa, imò penè innumera. Neq; tamen deesse, qui & his bonis per luxum, Intemperantiam, Ignaviam turpem, aliarumq; rerum & quidem vanissimarum studia paulatim excidant: Quos hortabatur, ut ad prima opera redeant, priusquam candelabrum, hoc est, Justitiæ, Juris & Pacis ille fulgor cum gloria virtute parta de loco submoveatur (*ut textus habet*) relictâ barbarâ ac tetra rerum confusione. Hinc ad Oeconomica se vertebat Orator, in considerationem vocans agrorum ubertatem, cum frugum ac vini proventu, negotiationes & commercia minimè contemnenda, argenti, æris, plumbi albi & ferri fodinas, latomias, Sylvarum, lignorum, ferarum item, jumentorum, pecorum & pascuorum copiam. Quæ omnia cum in bonis ponenda, inq; benedictione divina habenda sint, abusu tamen, ipsa quoque reddi aiebat vitiosa & noxia. Invehatur in luxum, helluationes, fastum & alia: Nec probandam dicebat odiosam quorundam importunitatem, qui inclementer tractent agricolas, ligna iniquo precio divendant, aut omnino negent vendere, seq; magistratui optimè in subditos affecto authores præbeant, ut agros, prata, pascua, vineta depopulantes feras cum certo miserorum dispendio turmatim alant, contra verò pecoris quoddam genus tolli jubeant, minimè sublevante imbellè animalculum fructu, quem copiosè fundat: Quo porrò accedat, quòd in colendis argenti-fodinis non optimâ semper à quibusdam fide agatur, multiq; tam civium, quàm agricolarum locis plu-

rimis in agrorum hortorumq; culturâ magis magisq; segnescant, agros sylvescere patiantur, partim ob turpem desidiam, partim ob grassatorum violentiam, qui hortos ac viridaria populabundi noctu, & quidem cum armis pervolitent ac prædas agant, exhaustis alioqui miserorum fortunulis. *Plura in medium allaturus videbatur vir præclarus: Verùm vox & corporis vires adeò ipsum destituebant, ut metum nonnullis incuteret, ne in suggesto functi aliquid pateretur, Vehementer pro viri salute sollicito Electore, Inclytis Ducibus fratribus, ac universâ aulâ, qui concionantem avidè omnes audiverant. Abrumpens itaq; orationem & ad preces versus, Ecclesiam precioso Christi sanguine assertam statumq; publicum, ut & Magistratum atq; æconomicum ordinem Deo sanctè commendabat: nec vel Torgæ vel Dresda concionem ab eo tempore ullam habuit. Quod etiam in causa fuit, ut peractâ concione, quam dixi, lampada collega tradendo author ipsi fuerit, ut concionem aliam presenti negotio accommodatam institueret: Id quod triduo post, ad VI. videlicet Septembris factum, quo historia de comitijs ab Assa Rege habitis, interveniente & ad Timorem Domini populum cohortante Asariâ Prophetâ publicè explicata est, è XV. capite libri posterioris Paralipomenon. Causam ad indicenda Comititia præter ceteras præbuisse dicitur Illustrissimi quondam Johannis Guilhelmi Iuliaci, Clivæ ac Montium Ducis obitus, qui morbo diuturno fractus, animoq; in primis æger subito sed placidè obiit die XXV. Martij anni præsentis. Sequuntur à morte Principis motus varij ac turbulenti, suos faciente amplissimos illos Ducatus (præter Nivernensem Ducem Carolumq; Burgæ Marchionem) illustrissimo atq; Inclyto Principe VVolfgango Gulielmo Comite Palatino Neoburgi aulæ sedem habente, Brande-*

burgicis



burgicis autem Marchionibus illustrissimis eosdem sibi vendicantibus: Qui tandem Palatino juncti exercitus cogunt, arces & oppida quedam occupant, adjuti Henrici IV. Galliae Regis Belgijq; ordinum auxilijs: quiescente interim totiusq; causa cognitionem Casarea Majestati prudenter permittente Illustrissima Saxoniae Domo, cui antiquius in Ducatus illos jus esset: Casare autem dum transactione mutua res sopiretur, Producentem constituyente Leopoldum Austriacum, Argentinensem ac Passaviensem praesulem. Elector cum agnatis Saxoniae Principibus jus suum in Ditiones illas scripto publice edito deducunt, totiusq; negocij cognitionem Aula Casarea (ut dictum) committunt anno 1610. Solutis comitijs Electorem in castro Annaburgico conveniunt Mauricius Hassiae Landgravius atq; Joachimus Ernestus Marchio Brandenburgicus, quibus cum in praesentia Iohannis Casimiri & Iohannis Ernesti Saxoniae Ducum amicissimè conversatus, deq; maximi momenti rebus inprimisq; Iuliacensi negotio collocutus Princeps, Pretzscham, Comitum Hanam, Dibenam, Dalbicum, Coldicum, Vvalthemum, Misenam (quo in loco circa pomeridianam primam subito erumpens in saeculo tempore (Octobri nempe) clarum fulgur cum vehementissimo tonitru multis horrorem incussit) castrumq; Mauricianum transiens Dresdam redijt, SS. Cænae Dominica perceptione fidem suam reficiens die VIII. Octob. qua Dominica erat à Trinitatis festo decima septima: Inde Schleuniciam, Muggellas, ac Vermisdorffium progressus Novembri ineunte ad sua redijt, ac levibus nonnunquam excursionibus, venandi studio susceptis, sacro illo tempore, quod Christi Adventus natalisq; memoriam in animis renovat, Dresda substitit. Vidit ipso hoc anno Iohanni Georgio Saxoniae Duci fratri filiulam Sophiam Eleonoram sacro Baptismatis fonte lustrari, die XVII. Decemb. itemq; alteram Mariam Elisabetham die IX. Decembr. anno proximo.

Iædus



Fœdus Ordines quidam Imperij ineunt, indignante sub initio Casare, mox cum inviolatam Majestatis Imperatoria auctoritatem cum pace publicâ servandam à fœderatis cerneret, ad animi equitatem se generosè componente: Ab eo tempore Uniti seu confœderati status appellati sunt. Legati pridie Calend. Februarij Dresdam appulerant Augustus Comes Hardeccius cum splendido comitatu, salutatum Electorem Matthiæ Hungaria Regis nomine: Nec multo post in Nivernensis Ducis negotio Legatus à Gallijs venit Illustris & Generosus Dominus Jan de la Fin, Dominus in Chartres, liber Baro in Beauvart, Regi Galliarum à consilijs. Hic in arcis templo concionem Dominicâ V. à Paschate attentissimè audiens (licet Germanica exactè omnia non intelligeret) ejus copiam sibi fieri petit Latino Germanicoq; idiomate: Quod cum postridie ejus diei promptè ac benevolò studio fieret, letatus dono vir pius ac puræ religionis amans concionem in Galliam secum adsportavit. Præterea Legationes, quas ad Electorem cum Reges tum Principes Germaniæ, Italia, Angliæ, Daniae subindè miserunt, unum id lectori subijciens, multum cum commemoratis Regibus ac Ducibus familiaritatis ac necessitudinis Electori intercessisse. Morbo in Augusta arce, quò se sub finem Maij receperat, gravi ac periculoso corripitur Inclita Princeps Electoris uxor, Quo tamen Dei misericordis bonitate feliciter levata est, cum mensem non integrum decubisset.

Cause fuerunt haud minimi ponderis, cur Legatio ad Henricum IV. Gallie Regem, aliosq; cum Reges tum Principes mittenda esset. Factum id deliberato consilio ab Electore, ijsq; qui genere proximi sunt, decurrente ad finem an. 1609. Caput Legationi datur Wolfgangus Mansfeldiæ Comes idemq; nobilis Dynasta in Heldringen, Imperatoria Majestati à consilijs castrensibus

ac mi-

ac militarium Ordinum ductor, ipsiq; etiam Electori ab officijs, vir magni & generis & animi: Burchardus item Lucanus Jureconsultus eximius & Marcus Gerstenberg Marci Gerstenberg, in Drackendorff & Schwerstet, viri magnifici atque ornatissimi, serenissimo Electori à consilijs intimis, filius, qui & ipse in aulâ Ducum Saxonie honores gerit. Adjungunt seipsis ex equestri ordine viri juvenes ætatis & fama integra XX. cum numeroso famulatio LII. capitum, Equis autem vectoribus partim, partim curulibus LV. Lipsiâ die XVIII. Octobris auspiciatò egressi diversis itineribus Gelhusium civitatem Imperialem contendunt, ubi simul juncti Aschaffenburgum feruntur, coram Reverendissimo atq; Illustrissimo Principe Electore Moguntino Archiepiscopo, ea quæ in mandatis habebant, expediens. Inde digressi Lotharingia Ducatum attingunt, ac Duce salutato confectisq;, quorum gratiâ ipsius Celsitat. Nancei, Ducatus illius metropoli, adire jussi fuerant, Parisiensem urbem incolumi valetudine ingrediuntur. Ter à Rege auditi ac humanissimè habiti, mense altero circumactò (morbus enim Mansfeldium detinuerat) Normandiam, & Piccardiam transeuntes Ianuario mense Caletum tenent, navibusq; conscens secundo vento ad littus Anglicanum feliciter applicant, nec multò post in civitate Grevesand excepti à Regijs Londinum perducuntur, ubi à Rege, Regina ac senatu Regni auditi ac perhonorificè habiti à V. Februarij ad XXVII. usq; Mensis commorantur. Inde preciosis ornati Apophoretis ac benignè dimissi in Galliam redeunt VI. Nonas Martij, eaq; mox relicta Flandriam penè omnem peragrant: Bruxellas delati Archiduci Austriae & Regiæ ipsius conjugi ad XII. Martij Electoris ac Principum literas exhibent, arreptoq; per Brabantiam equestri itinere, naves ingressi Antverpiæ Hagam-Comitum appellunt,

confectusq; rebus per Geldrensem Ducatum, Monasteriensem ac Padebornensem Diœceses, Oldenburgensem Comitatum, Bre-
mensensem ac Magdeburgensem Episcopatus, ne unico quidem de-
siderato Dresdam IX. Maij incolumes intrant, pauloq; post Pra-
gam triurbem petunt, obita legationis modum ac ordinem expo-
situri Principibus. Sunt qui affirmant, Legationem in Gallia
Regno annis aliquot splendidiorẽ hac ipsa conspectam non es-
se, non nemine admirante Saxonia Ducum magnificentiam
cum potentiã haud exigua conjunctam. Academias eodem an-
no inspicimq; melius institui atq; instaurari, si quid à statu de-
flexisset, Princeps præcepit: Tempus negotio cessit, quod Christia-
ni Paschatos solennitatem proximè antecedit, rem cum fide ad-
ministrantib. Ionã à Quingenbergk, Polycarpo Lysero & Mar-
tino Eichmanno, qui ydem Principi omnes à consilijs sunt. Apro-
rum, Cervorum, Vrsorum aliarumq; id genus ferarum venatio-
nem in foro urbis majore ad VI. & VII. Mart. Elector instituit,
spectantib. de Curia excedris Ioh. Casimiro & Ioh. Ernesto Saxo-
nie DD. Christiano item Marchione Brandenburgico ac quibus-
dam alijs. Iterum invisunt Electorem Augustus D. Lunabur-
gensis & Ludovicus Hassia Landgravius, Octobri ac Novem-
brimensibus: Lotharingia verò Dux per Legatos die 3. Junij.

1610.

Offensa inter Casaream Majestatem & Matthiam Panno-
nie Regem fratrem minimè leves exorta fuerant, quas tempe-
stivè sedari Imperio non utile solum, sed & necessarium videba-
tur. Proinde Pragam Bohemorum Illustriss. Elector, qui pro Ec-
clesiæ Christi atq; Imperij salute anxie semper vigilandum cen-
suit, Casaris rogatu intrat an. 1610. mense Apr. collectis ibidem
Ioh. Swighardo Moguntinensi Antistite, Ernesto Bavaro Colo-
niensi, Maximiliano item ac Ferdinando Archiducibus Austria,
Octavio Visconti Alberti Proregis in Belgico legato, Henr. Julio
Brunsvicensi Duce, Ludovico & Philippo Hassia Landgravijs

alijs q;

alijsq; Heroibus non paucis. Qui omnes consilijs ac voluntatib.
 juncti eò rem communi ope ac operâ perducunt, ut inter AUGU-
 STOS FRATRES concordia tandem coiret, animiq; dissidijs san-
 ciati salutarî mutua transactionis pacisq; vinculo solidarentur.
 Annus cum ingenti aëris perturbatione inierat, ventis imma-
 niter saevientibus, scintillante aëre, fragoresq; edente insolitos:
 excipiunt tantam commotionem bellici rumores, casus in xpe-
 ctati & formidabiles, annonæ difficultas, incendia, fortunarum
 angustia, cum morbis malignis, scedis & contagiosis. Funestus
 idem annus est Gallia regno, Henrico IV. Rege in Parisiensi urbe
 per sicarium nefariè trucidato IV. Maij. Succedit in regno Ludo-
 vicus filius Gallia Delphin. Rotomagi in regnū inauguratus die
 VIII. Octob. Praga dum hæret Elector, Juliaci, Clivia ac Montium
 Dux solenni pompâ renunciatur die XXVII. Jun. gratulantibus
 ipsius Celsit. de novâ ac splendidâ ad domum Saxoniam acces-
 sione plurimis, præsertim cum & Philip. III. Hispaniarum Rex
 potentiss. ditionum quarundam, quæ ad præmemoratos Ducatus
 pertinent, feudum amicissimâ voluntate anno seq. post confer-
 ret, ditiones, videl. VVinenthal, Breschand & Ravenstein. Titu-
 lus ab eò tempore Electori tributus hic est: Dei gratiâ Chri-
 stianus II. Saxonix, Julix, Clivix & Montium Dux, S.
 Rom. Imp. Archimarschallus & Elector, Landgravius
 Thuringix, Marchio Misnix & Burggravius Magde-
 burgensis, Comes de Marca & Ravenspergk, Dominus
 in Ravenstein. Soluta ferè Principum conventu ad sua rediens
 die XVI. Aug. Elector nuptias Inclytæ sorori Sophiæ Saxonie D.
 adornat cum Illustriss. Francisco Stetini ac Pomerania, Cassu-
 biorum & Vandalor. Duce, &c. Quæ magno splendore Dresdæ
 celebrantur ad XXVI. Aug. Altera soror Dorothea Saxon. Ducis-
 sa 1591. Jan. mens. in lucem edita Diæcesis Quedlinburg. Abba-
 tissa defunctâ Mariâ Saxonicâ constituitur. Eam Heinr. Auceps

Imp. fundavit primus, filiamq; Mechtildin primam Antistiten, ipsum verò virginum Collegium è Principum Comitum & Baronum familijs constare voluit. Ad regulas Monastici ordinis adstricta nunquam fuit, sed perpetuò libera ac secularis: Ex quo etiam non nisi ab Imperatore confirmatur. Dorothea ad gubernationem liberà Electione postulata, approbante ac confirmante eam Rudolpho Imperat. die XIX. May solenniter introducta est, statimq; die sequente à subditis homagium recepit. Viget in annum jam LXXII. pura ac sincera per omnem illam Diocesim religio, Anna Stolbergica auspicijs introducta anno 1539. Et tamen horis Canonicis in templo Cathedrali hymni sacri, Latini olim hodie & Germanici decantantur per Cantores certos seu Vicarios, stipendijs ad hoc conductos: qui ijdem tamen certis diebus ad populum conciones habere obstructi sunt. Conditæ sunt in templo illo Henrici Imp. exuvia, sine ulla tamen magnificentia & ornatu aliquo singulari. Mense Decembri Principis jussu conventum Dresdæ agit Equestris ordo: solvitur appetente jamjam die natalitio Christi Servatoris. Consilia eodem hoc anno, ut & superiore, de reparanda arce Pirnensi, loco oportuno ac peramano sita, sed ob antiquitatem vitium trabente agitata sunt: Quod idem & Christiani I. Electoris laudatissimi tempore factum dicitur, architectis varias Ichno-graphias exhibentibus structura splendida atq; elegantis. Verum ceptum hoc ob preproperum Principis obitum successu caruit: Quem quidem presagio quodam indicasse fulmen videtur, quod in ades temporarias eo ipso in loco Albim versus speciosè ad æstiva habenda extructas, ingenti fragore ad diem 3. Augusti anno 1609. illapsum est, specularibus in Principis dormitorio contritis, tactoq; simulachro quodam ad ædium ingressum in summitate portæ posito. Jam & Vilna Lithvania


metropo-

metropolis incendio fœdè vastatur, quò quater mille & septin-
genta aedes cum arce ac X. templis concrematae sunt. Fridericus
IV. Elector Palatinus subitâ morte extinguitur die 8. Septemb.
Praefectus arcis Künigstein ob fideliter parùm obitum munus
mori iubetur anno eodem, mense Julio: Adeò se eundem omni-
bus aequaliter praeberere Principis contendit. Eum hoc anno Dres-
dae convenit Moguntinus Elector multae auctoritatis, sapientiae
ac venerationis Princeps, Leopoldus item Austriacus aliq̄ do-
ctrinae Pontificiae assertores: Quæ res imperitiores in eam opi-
nionem induxit, fluctuare in veritatis caelestis confessione illu-
strem Principis animum. Verùm plurimum falluntur iudicio,
qui id sentiunt. Neq̄ enim vel ad minimam doctrinae mutatio-
nem Princeps unquam spectavit: Quin in firmâ ac solidâ sa-
lutis petrâ Iesu Christo verboq̄ ejus salutifero fides, spes, cogni-
tio, cujus incrementa indies majora cœpit, fundata ipsi ac robo-
rata semper fuit, nullis vel blanditijs cedendo vel terroribus:
adversarijs id ipsum testantibus, qui frustra expeti ac expectari
à Saxone mutationem uno ore affirmarunt. Et certè ita Prin-
cipis animus (quod & supra commemoratum) in cognoscendis
fidei Christianae capitibus, minorennis dum esset, versatus fuit,
præeunte ipsius Celsi. ad omnem pietatem Doctore Polycarpo,
ut ad quævis dogmata, quæ in caelestis doctrinae veritatem im-
pingunt, judicanda ac refellenda paratus reperiretur. Ac res
docet, Principes imprimisq̄ creandis Imperatoribus Septemvi-
ros multis cum Regibus, tum Principibus amicitijs junctos esse
oportere, licet in fidei confessione dissentiant: cum quæ justa,
aqua ac recta sunt, vel in ipsâ religionis dissimilitudine cum
pace publicâ aliquo modo constare queant, id quod hæcenus in
Imperio Romano, Ferdinando præsertim, Maximiliano II. ac
Rudolpho rerum potientibus, evidenter comprobatum est, ut

minimè mirandum sit, eorum, quæ in Imperio geruntur, adeoq;
 & consiliorum quandam inter caput ipsum Imperatorem, &
 Principes Ordinesq; alios tanquam corporis membra esse com-
 munionem. In Scotiam, ubi ditissima argenti vena se aperuisse
 dicebatur, metallicarum rerum periti mittuntur ab Electore:
 Qui in rem præsentem ducti deprehenderunt, Venam illam mi-
 nus uberem esse & abundantem, imponente rerum imperitis
 Galena alijsq; quæ cum argento rudi plumbei coloris in emula-
 tionem quodammodo descendant. Veruntamen eò res profuit, ut
 exploratum jam sit, amplissimam Britannia Insulam, & qui-
 dem parte Arctoa minimè à metallis inanem esse (quod Plinius
 scribit) sed sua quoque in terra cavo constare fecunditate me-
 tallorum: licet raritas venarum, lignorumq; penuria culturam
 pariter & proventum retardet. Dresdam finire anno appel-
 lunt Hassia Landgravius Ludovicus & Christianus Marchio
 Brandeburgicus.

1611.

Acres interim de Iuliacensi, Clivensi ac Montium Du-
 catibus, Friderici III. Imperatoris donatione, Maximiliani ve-
 rò I. confirmatione alijsq; causis ad Domum Saxoniam, post Io-
 hannis Guilhelmi Ducis Iuliaci obitum devolutis, controversia
 Electori moventur, quæ cum in flammam erupturæ viderentur,
 admissis moderatis consilijs magnâ omnium læticiâ componun-
 tur Interboge Martio Mense: Quo nomine gratia Deo publicè
 solvuntur Dresda ferijs secundis Paschatos præsertim cum in
 componenda controversia opera omnis à Principum Legatis Co-
 lonia anno superiore impensa, inanis & irrita cessisset. In veta
 fuerat Februario ac Martio mensibus aëris commeditas, ac ver-
 na prorsus constitutio: Quâ de causâ morbi varij ac epidemij
 Aprili & Maio, cum validâ nervorum resolutione febribusq;
 malignis grassati sunt, quæ postea accedentibus æstivis caloribus,
 varijsq;



varijsq; aëris commotionibus (Julio præsertim mense) in popularem luem paulatim transierunt, quæ Misena, locisq; plurimis in Electoratu magnam sævitiam exercuit.


Constituerat Princeps conventum Electorum Julio mense institutum adire, perq; Coldicium, Aldenburgum & Vinariam, Mülhusium ubi conventus celebrandus erat contendere, facto profectiois initio die XXV. Junij, qui Baptista postridianus est: Iamq; ad XXIII. ejusdem mensis, Dominicâ scilicet à Trinitate quintâ, preces publicæ in Arcis templo pro salute Principis instituebantur, imprimisq; ut angelorum rectus presidio iter Dei voluntate feliciter susceptum felicissimè perficeret, inq; conventu indicto ea sapienter deliberaret, constitueret atq; executioni fideliter mandaret, quæ ad propagandam divini nominis gloriam, ad Ecclesiæ salutem, Romaniq; Imperij dignitatem ac decus tuendum pertinerent. Quæ deliberationes vel hoc nomine secandiorum exitum habituræ videbantur, quòd res Bohemorum vehementer ancipites ac turbida ad concordiam spectare videbantur. Qui n. in Passaviensi territorio collectus anno superiore exercitus circa Austria ac Moravia fines prædabundus per hyemem, ob frumentaria rei angustias vagatus fuerat, superatis subuò Bohemiam promontanis Budovicium, Thaborem, aliq; oppida, frustra renitentib. incolis Rhamo Duce occupaverat: Quibus non contentus miles præda avidus Pragam ad V. Febr. albescente die hostiliter invasit. Ubi acriter defendentibus se civib. multis jugulatis, inq; Vultavam amnem demersis, milites qui jam nò hostes sed amicos se fingebant, ac Leopoldi Austriaci procerumq; quorundam fide niti jactitabant, intra civium tecta in minori Pragâ recepti sunt: In quibus ad Junii usq; moram trahentes, stipendijs tandem acceptis Bohemiâ excesserunt, Praga nullo majorum exemplo, vivo ac rerû adhuc potente Rege legitimo, Matthiâ fratre in Regem inaugurato die XIII. May ferijs sc.

Pente.




Pentecostes alteris. Verum Deo aliter visum fuit, qui ad iter paratis omnibus subito illud intervertit. Morbus enim Principem ad XXIII. Junij diem intra V. & VI. vespertinam subito invadens ita primo assultu corporis vires labefecit, ut sublato pedum ac lingvæ usu essedo ad Palatium deportandus esset. Precesserunt nonnulla, quæ imminentis mali presagium præbuerunt: Virium defectus cum corporis attenuatione citra evidentem causam, manus dextra torpor, qui circa meridiem primo, mox cum equestri certamine Sole admodum feriente se oblectasset, secundo recurrens valetudinis haud benè affectæ indicium præbuit. Neque enim matutinis horis, cum concionem summa attentione audiret, precesq. ad Deum humiliter fundere, ac templo egressus de rebus pÿs sermonem cum suis misceret, deprehendi quidquam potuit, quod corpori adversum videretur. At, ut dixi, morbo in Sigismundi Berbisdorffii Marschalli ædibus, primo statim cænæ aditu, dictis devotè precibus, subito correptus, vultu ad cælum verso, Dei operæ humiliter imploravit, commendando se paternæ ejus clementiæ. Quo factò, accersitus Aula Ecclesiastes Senior Principem vehiculo impositum, seq. agrè jam sustinentem, in maximo populi flebiliter lamentantis concursu ad palatium secutus est: Ubi lecto jam impositum accedit, Dei propitiæ misericordiam in Christo Filio resipientibus propositam, deq. paterno ejus auxilio in quibusvis malis parato ac obvio credentibus promissiones annuncians. Deprehensum fuit, illustrem animum, quæ dicerentur, intelligere omnia. Nam & ad verbi ministrum ac circumstantes oculos subinde vertens cælum spectabat, & assistentis cujusdam manus arctè prensabat, gemitu atq. labiorum motu eum se exhibens, ut facile appareret, eum quæ proferebantur, probè assequi ac recreari animo. Quocirca & confessionis formulâ devotè

ipsi præitum, & consolationes è sacris literis propositæ sunt: Pre-
 cationes verò quæ cum moribundis institui ad Deum solent, ad
 finem usq; vitæ recitata, operante haud dubiè in Principis ani-
 mo Dei Spiritu ω λη ερ ρο ε ι α ν, Dei misericordiam, quæ sine ca-
 ret, spectantem in preciosissimo Jesu Christi merito: quo uno
 subnixus animam cordatè egit, eamq; presentibus Regij san-
 guinis illustri conjugæ, Augusto fratre, multisq; aula proceri-
 bus, atq; ijs, qui à concionibus ac curâ corporis sunt, inter sanctas
 assistentium preces Christo Servatori reddidit, horâ noctis X.
 cum ultra quatuor horas non decubisset, vixissetq; annos
 XXVII. menses IX. dies XXIII. nondum completo Climacterico
 quarto, Parentem propemodum vitæ exitum sortitus cum Augusto
 Electore, avo paterno, qui auditâ in Castro Mauriciano de Bea-
 to Electorum post hanc vitam statu concione, ac prandio tumul-
 tuariè sumto Dresdam properè reversurus in itinere paulatim
 deficere ac linguæ animo cæpit, inq; arcem delatus, presente
 Christiano Duce ac procerum nonnullis, pauca prolocutus, vi-
 tam tranquillo exitu clausit III. Id. Febr. vesperi horâ sextâ,
 anno 1586. Itemq; cum Ioachimo Fridericho Electore Brande-
 burgico, qui Berlinium ex venatione reversurus medio prope-
 modum inter Storckavium & Copnigam itinere subitò expira-
 vit anno 1608. die XVIII. Julij, nihil incommodante pijs ani-
 mulis festinâ Mortis acceleratione, cum ad rectè vivendum,
 pieq; moriendum credentes in horas ac momenta singula instru-
 cti sint, certò persuasum habentes, neque mortem, neque
 vitam, neque angelos, neq; Principatus, neq; Potesta-
 tes, neq; Instantia, neq; futura, imò nec sublimitatem,
 nec profunditatem aut ullam rem aliam creatam posse
 illos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu
 Domino nostro, ut Apostolus scriptum reliquit in Epistola ad



Romanos capite octavo. Ut igitur grandem etatem, Princeps non attigerit, tamen vel hoc nomine senibus accensendus est, quod in ipso vel juvene eluxit, in rebus praesertim divinis, canus & sapiens intellectus.

Atq; hoc loco de VIRTUTIBUS quaedam commemoranda sunt, quae in Principis animo effulserunt. Prima PIETAS est, radix ad beatam vitam fruticans. Hanc in Principis animo primas tulisse, multa sunt, quae evincunt: In primisq; id, quod salutiferum Dei verbum in concionibus publicis, quas subinde frequentabat, manibusq; complicatis, summam devotione, stando ut plurimum audiebat, perquam familiare sibi reddidit, ut hoc velut pabulo nutritus armisq; spiritualibus instructus ad quemvis agonem sustinendum promptus evaderet: Quodq; cognita peccatorum illuvie, si quando per carnis infirmitatem in ea illapsus esset, non modo detestatus est veteris hominis vitium a prima originis labe trahentis, & ἁμαρτία, sed & Absolutionem devotè, nec siccis oculis à verbi ministro suscepit, Cœnâ mysticâ languentem animum saepe multumq; reficiens, & ad vitam rectè instituendam ita se componens, ut laticiam compararet omnibus. Preces quotiescunq; in templo aut conclavi dicebantur, non attentè modò recitari audiebat, sed & mente ad Deum versus in spiritu ac veritate orationem ipse quoq; fundebat, persuasivissimum habens, vix ullam in animum hominis gratiam descendere, nisi per Precationem, cordisq; ad Deum versi desiderium. Accedit huc, quod si quando Ordinum conventus agendi, aut Imperij comitia instituenda essent, ipse ad preces versus rerum successum à Deo humilimè exposcendum censebat: Quod idem in pœnis publicis aut si quando bellicis tumultibus Ungariae regnum aut finitima regiones arderent, aut à lue populari terris periculum ingrueret, aut diri ominis portenta in aère,



aëre, aquis, terris ve conspicerentur, factitari voluit. Nec dissi-
 mulandum, sub initium gubernationis hoc potissimum cordi
 fuisse Principi, ut verbi depositum à majoribus acceptum purum
 servaretur & transmitteretur ad posteros. Ex quo porro illud
 secutum, quòd licet seclarij Principis animum per cucuculos ten-
 tare molirentur, ipse tamen ad quosvis insultus solidè munitus
 ὀρθῶν τῆν ἰσχυρῶν, ut habet diverbium, hoc est, veritatis cursum,
 eundem semper tenuit, ad Fidei rationem, sicubi opus esset, red-
 dendam alijs nullo non tempore paratus, ita quidem, ut vel ho-
 stibus veritatis perspicuum fieret, Deum, qui, Apostolo teste, gra-
 tix omnis author est, nosque vocavit ad æternam suam
 gloriam in Christo Jesu, Principem nostrum perfe-
 ctum reddidisse, confirmasse, solidasse ac fundasse, ut
 verà animi fiducià Deo & verbo ejus igne purgato adhere-
 ret perpetuò. In publicum subinde mittebantur Pontificiorum
 strophæ, toties à majoribus convulsa ac labefactata: Dispu-
 lit eas Principis jussu Polycarpus, Hunnius, Gesnerus, Run-
 gius, Hüterus, alijs nonnulli, scriptis in publicum editis, quo-
 rum invicta, virens ac viva soliditas. Prodyt ad Danubium
 liber præclarus, Pseudocatholicorum errores graphicè pingens
 ac redarguens: traditus est liber ab Electore, prius quàm typis
 subijceretur, harum terrarum Theologis, ut accedente plurium
 judicio, testimonijs, consensu ac authoritate, majore fiducià ab
 authore publicaretur. Redierunt ad cramben sapius recoctam
 ij, qui cum Calvino faciunt, redijt Huberus, pertentaverunt ma-
 gnatum animos, ac suos facere studuerunt sinceros verbi
 ministros: Obstitit Elector, obice posito, ne Ecclesia è tran-
 quillo in apertum confusionum ac conflictuum pelagus de-
 nuò abriperentur. Prodyt Hospiniani liber, pro verà Augustana
 confessionis historià rhapsodias exhibens: Confutandum eum,



magni nominis Theologo tradidit Elector: ne de tenebrionis Unckersdorffii scripto inprimis maledico dicam, quod Austria proceres calumniosè perstringit, ipsiusq; Lutheri jugulum nequiter petit, de quo & ipso Theologorum sententias Princeps collegit anno 1611. Expetebatur in scholis rerum theologicarum Epitome, ita concinnata, ut tyronibus juxta atq; ijs, qui solidioribus praeceptis imbibendis advescunt, ex aequo omnibus prodesset: Id laboris D. Hüterus vir clariss. Principis jussu suscepit. Praefixa libello Epistola est, in qua haec verba leguntur: Ab eo ipso tempore, quo divinâ gratiâ ad Electoratus culmen atque fastigium sumus evecti, nihil prius aut antiquius habuimus, quàm ut Religionis puritas, nostris in provincijs, facta tecta assereretur & propagaretur: Quo nomine singulos initiò ac universos nostrae Jurisdictioni subjectos, & quidem in publicis muneribus, tam civilibus, quàm sacris constitutos, religioso sacramento obstrinximus, quòd Confessioni Augustanae, non variatae, sed primae: quòd ejusdem Repetitioni in libro Christianae concordiae, adversus quorumvis hostium insultus ac sophismata evidenter satis assertae, declaratae, corroboratae, ex asse essent addicti: quòd denique divina adjuti gratia, ad finem usque, constantes fidei & Religionis hujus assertores esse ac perdurare vellent. Praeterea ut venerandum Religionis Palladium, tantò evidentiùs omnibus innotesceret, neque quisquam ejus cognoscendi copiam sibi negatam esse jure conqueri posset: curavimus Librum Christianae Concordiae, in forma (uti loquuntur) minore ad exemplum prototypi, ita imprimi, ut pretio etiam vilissimo, sibi quisque illum comparare posset. Et profectò

summi

summi beneficii divini loco piâ gratâq; mente agnos-
 scimus & celebramus, quòd non modò Illustrissimi
 Principes, fratres nostri charissimi, Dominus Johan-
 nes Georgius, & Dominus Augustus Duces Saxoniae,
 ita in religionis negotio nobis per omnia sunt ὁμόψη-
 φοι, ut de ipsorum constantiâ subdubitare qui velit, is
 ipsam pietatem ac fidem in dubium vocare videri pos-
 sit: Sed & singuliac universi omnium ordinum ac di-
 gnitatum subditi nostri, tum in superioribus proxi-
 mis, tum hoc ipso anno celebratis Comitibus provin-
 cialibus, sanctè testati sunt, se pro fide semel nobis da-
 ta, ne latum quidem pilum, ab hac ipsa, quam secun-
 dum Scripturas Propheticas & Apostolicas, Formula
 Concordiæ profitetur, doctrinâ, hæcenus discessisse,
 vel discessuros unquam. Quam incomparabilem feli-
 citatem ut clementissimus Pater cœlestis, nobis,
 nostræque posteritati universæ, jubeat esse perpe-
 tuam, infinitam ipsius misericordiam toto pectore ve-
 neramur supplices. 23. Novemb. anno 1609. Dresda.

*Deprehendit Princeps Elector haud paucos inveniri, qui
 cum Ecclesiastica munia obeant, aut scholis præsent, recto ta-
 men calle incedere minimè allaborent: Proinde visitationis ne-
 gotium in usum vocari, inq; Theologorum conventibus scripta
 quedam adornari jussit, quibus ad sacri muneris administra-
 tionem laudabiliter obeundam omnes invitarentur: Quæ cer-
 tè omnia pia mentis officia sunt. Neque enim semetipsâ conten-
 ta Pietas, plures semper cum Deo copulat, justa adversus erro-
 nea dogmata morumq; improbitatem arma expediens, non car-
 nalia, sed divinitus valida, ad subversionem munitionum,
 quemadmodum Apostolus loquitur. Rex enim qui sedet in*

folio iudicii, dissipat (Dei nempe verbo adjutus) omne malum intuitu suo (Proverb. 20.) Duce[m] se in sacrâ hac militiâ minimè segnem prestitit Elector, adeoq[ue] ijs, qui doctrina veritatem convellere, aut vitâ improbè actâ labern Ecclesiis adspere conabantur, ne ad horam quidem cedendum putavit, Gal. 2. Pietati tribuendum, quòd Concordiæ librum anno Christi 1580. publicatum & ab Augusto avo & Christiano patre ob invictam veritatem, quæ ex Scripturis sacris infallibiliter in eo demonstrata est, publicè receptum, assertum, contraq[ue] errores validè communitum symbolum quasi ac notam esse voluit, quæ verum à falso discerneretur, ac proinde omnes, qui officia publica gerunt juramenti religione ad doctrinæ, quæ libro illo continetur, confessionem obstringi jussit. Sic enim in Proœmio quod novæ illius editioni anno 1602. Electoris jussu facta præfixum est, scriptum reperitur: Quoniam Deus ipse hoc tepidum genus hominum, quod nec frigidum est nec calidum, serio detestatur, & minatur illis, quòd ex ore suo illos velit eijcere: idcirco & Nos confestim inito Magistratu in hanc curam incubuimus, ut omnes nostri Consiliarii, Aulici, Capitanei, Officiales, & reliquis muneribus præfecti, præstarent juramentum Religionis legitimè delatum, & fidem darent, quod una nobiscum in prima invariata Augustana Confessione, quemadmodum ea Anno 1580. in Libro Concordiæ Christianæ repetita, declarata, & adversus omnis generis corruptelas accuratè munita est, ουν θεω, firmiter ad finem usque vitæ sææ perseverare velint. Quam quidem rem præmeditato & omni ex parte probe deliberato consilio suscepimus, hoc nimirum fine, ut isto salutari medio, Deo juvante, conatib. improbis fraudulètorum illorū hominum,

num,



num, qui clandestinis molitionibus talem nostris provinciis apud externos maculam aspergunt, efficaciter obsisti queat. Scimus etiam, (Deo sit laus & gloria) quòd Illustrissimi Principes ac Domini, Dominus Johannes Georgius, & Dominus Augustus, Duces Saxoniae, fratres nostri exoptatissimi, nobiscum in hac causa religionis, ut & aliis, per omnia consentiant: & post pauca: Mandamus autem nostris ad scholarum & Ecclesiarum causas deputatis consiliariis, nec non Rectoribus, Doctoribus & Professoribus Academicarum, Consistoriorum Assessoribus, cunctis Superintendentibus & eorum adjunctis, Pastoribus & Diaconis: similiter Rectoribus & collegis scholarum illustrium, & reliquis Ludimoderatoribus universim, unâ cum nostris stipendiariis & alumnis, ut hunc librum sibi quàm commendatissimum esse finant, diurna nocturnaque manu terant, debito studio evolvant, Examina quoque ex eo instituant, nequæ quendam, qui non librum hunc, tum subscriptione, tum data per iuramentum fide approbaverit, ad officia promoveant, adeoque totis viribus huc elaborent, ut per nostrum hunc inclytum Electoratum & adjunctas provincias in Scholis & Ecclesiis, nihil vel publicè contra doceatur, vel privatim invehatur, quàm charus cuique est Omnipotentis Dei favor, nostra clementia, propriæque animæ suæ salus & incolumitas. *Dresdæ, Calendis Augusti, anno millesimo, sexcentesimo, secundo.*

Graviter pupugit ejus animum, si turbari rem Ecclesiasticam, aut dissidijs excitatis impediri cernebat salvificum Evangelij cursum. Audiverunt multi, cum vehementer animo commoveretur,

eò

eò audaciæ progressos audiens Antitrinitarios, eos præsertim, qui Photini sectatores sunt, ut vel ad Vitebergensis Academia Theologos, veræ doctrinæ assertores, patronos & vindices scribere ac præsidium querere conarentur erroribus. Idq̄ tum causam præbuit Aula concionatoribus, ut cum occasio se daret, errores istos publicè redarguerent, præmonitis auditoribus, ut à pestifero hoc furore in perpetuum caverent. Caterùm duo præcipuè (ut obiter quid extraq̄ oleas inseram) Antitrinitariorum genera esse constat: Unum Arianorum, alterum Photinianorum. Antitrinitarij Ariani patrem solum ἀρχόντων, αἰδίων omnisq̄ Principij expertem statuunt: Filium autem in tempore, ante tamen Mundi initia creatum (observet pius læctor quàm absolum sit statuere, in tempore quid factum, quod ante Mundum conditum, cum tempus nondum esset, sua habuit primordia) Spiritum verò à Patre & filio creato ipsum quoque creatum esse, adeoq̄ Filium & Spiritum sanctum ἐτερόσιον esse ac omnimodè diversæ à Patre substantiæ. Photinianorum dogmata impia hæc sunt: Unam esse in divina essentia personam, Patrem scilicet, adeoq̄ erroneum esse statuere distinctionem personalem in Deo: Christum, priusquam è virgine nasceretur, nihil nisi notionem quandam fuisse in mente Patris ad hominum salutem destinatam: In hominibus nudum mentis conceptum: in quo salutis spes ac fiducia à Mundi usq̄ origine locata fuerit: ac proinde Christum Jesum origine & naturâ purum esse hominem, minimeq̄ Deum de Deo, aut distinctam à Patre hypostasin ante secula genitam. Et tamen Christo in plenitudine temporis nato ex virgine communicatam esse à Patre Deitatem cum potentiâ ac omniscientiâ, idq̄ partim in habitationis beneficio, partim Gratiæ infusione, quam unctionem appellant, adeoq̄ Christum Deum quendam esse creatum minimeq̄ æterni

Dei



Dei aeternum Filium. Ex quo etiam negant Christo competere cultum adorationis, quidam verò Christum invocandum probant: Spiritum sanctum vim ac virtutem Dei esse, moventem, agitantem ac vegetantem omnia, nec esse personam. Sunt ex illorum grege, qui & ceteros fidei articulos corrumpunt: Negant peccatum originis: negant imaginem Dei amissam esse per lapsum: Hominem Legi Dei satisfacere posse contendunt, Plutarchi pronunciatum sequentes, quod ipsi quoque Pontificij audent adstruere, *Ἰσὶ τῆς νόμου καὶ τῷ δυνάμει τῆς ἀγάπης*, In legibus ferendis spectandum, quid prestare queant homines, quid non possint: Deum Patrem vel sine contuitu meriti Christi ex ineffabili bonitate condonare peccata hominibus: Quaecumque in sacris literis tradantur, humanæ rationi esse consentanea: Præceptis Decalogi novas interpretationes assuunt: Vim baptismi elevant: Cœnam sacram depravant: Doctrinam de vita aeterna obscuram fuisse dicunt patribus in veteri Testamento: Impios corpore & animâ tandem interituros, ut & Diabolos. Quæ eò fusius exponenda censui, quòd res doceat, execrabile hoc errorum chaos longè lateque disseminari, ipsosque Photinianos *Ἰεσομαχῶντες* in Ecclesias repurgatas involare subdolè, magnamque Religioni minitari mutationem. Theses quædam prodierant, à magna quodam celebritatis Theologo, ante beatum ipsius obitum in suum ipsius ac suorum usum de Exorcismo privato studio conscriptæ: quæ cum novitatis aliquid illatura viderentur Ecclesiis, seponi eas iussit Elector, ne è tenui scintilla incendium de novo excitaretur, aut turbarentur rerum imperitiores.

A concione rediens XXIII. die Iunij, fidem in Christum eam præsertim, cui vita & mores respondeant, plurimum prædicavit, totum se in hoc esse confirmans, ut vitam ad verbi divini normam piè instituat. Conciones si quando ultra tempus

extraherentur, absque tadio audiebat, praesertim si multis Scriptura dictis referta essent, quibus mirum in modum Pietatis cultor animus delectabatur. Profanas gentilium voces, historiolas, gnomas, apophthegmata & technica Logicorum vocabula minus in animum admittebat, firmo eoq; prophetico sermone utendum dictitans, sive ut Esaias loquitur, Lege ac testimonijs, quod Petrus divina eloquia (θεῶν λόγια) appellavit, Quo cum Lutheri pronunciatum consentit, qui, Non sunt, inquit, miscendae feces humanorum phantasmatum puritati fidei, ubi possunt commodè vitari & aliter dici. Non deerant, qui authores se praebebant Principi, ut ab arcis templo ac concionibus ibidem audiendis civium ordo arceretur. Verum adeo ipsorum sollicitationibus non cessit, ut voluptati potius esset ipsius Celsitud. ingens populi ad templum illud concursus, verbiq; caelestis amore, quem indies excitatiorem reddi in multis cerneret, ita flagrabat, ut & in Sophia templo, quod anno Christi 1540. ab Henrico Saxoniae Duce Senatui oppidano traditum, annis vero septuaginta post, nempe 1610. magnificè exornatum auctumq; redditibus Inclytæ ac Celsissimæ Matris Sophiae auspicijs in solidum cesserat Senatui conciones, Dominicis singulis vespertinis horis institui, easq; frequentari à multis pulchrum ac gloriosum duceret. Adeo scilicet lucidus est pietatis ille fulgor, ut plurimos luce sua inflammare gestiat: Eos vero minimè ferendos putabat, qui aulae concionatores exosos reddere satagebant: Quin ita eos & fovit & complexus semper est, ut facile intelligerent malevoli, se in inflammando adversus verbi praecones Principis animo, atque eos imprimis, qui παρρησιαστικώτερον in vitia publica inveherentur, operam ludere, eosq; dum nocere studerent, reddere

gratio-

gratiosiores. Nam & Celsitudo ipsius reprehensionum patientis erat, nec deerrare ab officio censebat eos, qui in vitia aliorum dicendo insurgerent. E vivis M. Conradus Blat aule Electoralis Ecclesiastes exiisset IV. Maij anno 1609. absente Principe. Hic vocatum ad se Prid. Calendar. Junij preclari illius viri Collegam, quo cum fraterne ac conjunctissime Conradus vixerat, composito ad gravitatem vultu, Siccine, inquit, intimè charum mihi M. Blatum abire passus es? Tum ille, Sic Serenissime Princeps superiori illi Domino, à quo & Celsitatis Vestrae nostraq; omnium vita, atque incolumitas pendet, placuit, cui adversari nec vis ulla, nec consilium, nec charitas ulla potest: Ille, sic sentio, inquit, ac divinitus regi, geri ac disponi consilio ac ratione certà omnia statuo: Cumq; verbi minister subijceret, Ita est, Princeps Illustrissime, ac mox adderet, Multum è tali desiderio in piè defunctum solaminis sibi accedere, imò stimulos subijci ad rectè obeunda vocationis suae munia, ut à morte suà idem aut non multum absimile iudicium ab ipsius Celsitudine referret: optimus Princeps brachio in humerum ipsius rejecto, Nolo, inquit, ut tu mihi mortem unquam oppetas, Tu jam pridem mihi Blatus fuisti ac quoad vixero, futurus es: Quod pius Princeps ad vitæ usque finem abundè præstitit, fremente uno & altero, atque ijs inprimis, qui nihil minùs ferre possunt, quàm ut concionatores Gratia floreat apud Principes.

Quantum porrò in obtinendo apud Cesaream Majestatem Austriacis, Bohemis, Moravis alijsq; Religionis puræ exercitio curæ sustinuerit, quid præstiterit, multi ijs in locis norunt, inq; Principis decus ac gloriam magnificè prædicant, benè

ipsi atq; successoribus esse cupientes non hoc solum ævo, sed & futuro seculo. Quò jam illud porrò referendum, quòd ad Templorum structuras, quas anno 1611. Praga Bohemorum de novo excitare Germani piè ac laudabiliter aggressi sunt, haud parum subsidij contulit, utq; liberaliter idem fieret à subditis, edicto publicè proposito eos cohortatus est. Quin & Matthiam Hohe S. Theologiae Doctorem, aulq; Electoris Saxonicae quondam Ecclesiasten, post Plavia Narischorum Pastorem Superintendentem, prememoratae nationis rogatu ad obeunda docendimunia in Pragà Veteri benignè dimisit: eos denique, qui ad Ecclesiarum gubernacula in Inclyto Electoratu admoventur, ingenij, doctrinae ac donorum, quae ad sacrum hoc munus requiruntur, specimen in arcis templo publicè edi salubri consilio voluit, ut qualesnam sint, qui Ecclesis praesunt, cum Celsitati ipsius, tum aula ipsi plenius constaret.

Pietatem Iustitia amor excepit, cujus accuratam ab ijs, qui foro praesunt, haberi voluit rationem. Quòd si quando in dimittendis sententijs aut sententijs ferendis faciliorem se praebuit, quàm facti natura requirebat: non tam Iuri ac Iudicium sententijs detractum voluit, quàm eorum, quos diligebat, precibus cessit, praesertim cum tantà esset mansuetudine, ut vix cuiquam quidquam negare posset. Prudentià fuit singulari, cujus primà statim aetate ad se evidentia praebuerunt testimonia, ut cui vis in promptu esset divinare, aetatis progressu ad summum, quod aiunt, apicem illam perventuram. Nam & ea, quae proponebantur, facile intelligebat, quidq; rectum, quid non rectum esset, pervidebat, ita ad capienda omnia facto à natura ingenio, ut quae discenda susciperet, sive corpore, sive mentis viribus peragenda essent, in ijs prorsus excelleret, in equestribus praesertim certaminibus, venaticà, ac Musicae exercitijs, in quibus ipsos

quandoq;


quandoq; superabat artifices. Viderat Pragæ Celsitudo ejus instrumentum opticum, quod oculis admotum res eminus positas velut è propinquo exhibet, magnitudine cæterisq; qualitatibus, quæ extrinsecus rebus adherent, plurimum conspicuas: Quod Principi multum jucunditatis attulit, præsertim cum intelligeret, Instrumenti hujus beneficio Saturni ac Jovis stellas, & quidem Asteriscorum satellitio, quod Ptolemaum, Albategnium, omnesq; omnium Mundi ætatum artifices latuerat, stipatos, hominum sensibus haud difficulter obijci: Quod Galilaus quidam de Galilaïs sagacissimi ingenij vir primus observavit solerter, Cheplerus verò Casaræ Majestatis Mathematicus per omnem Germaniam celeberrimus, solidius illustravit. Quamquam & his terris Mathematici minimè defuerint, cum quibusvis artificibus comparandi: VVitebergæ quidem Jöstelius, Rhodius & Brunnus: Lipsiæ autem Sethus Calvisius magni in primis ingenij & doctrinæ Vir, quod scriptis in publicum editis luculenter comprobavit. Eluxit Prudentia Principis, si quando Imperatoris, Regum ac Principum legati ad aulam venirent; quod cum sæpè multumq; fieret, haud exigua ad ipsius auctoritatem facta accessio est. In consilijs dandis cautus magis, quam præceptus fuit, illud exploratum habens, quod Latinus auctor scriptum reliquit, Temeraria consilia primâ specie læta, tractata difficilia, exitu tristia esse consuevisse: Idq; haud parvum dignitatis ac laudis conciliavit apud omnes Principi. Evahit videlicet & exaltat sapientia filios suos, & suscipit quærentes ipsam: Qui diligit eam, diligit vitam, & qui accuratè inquisierit eam, ingenti lætitiâ perfruetur: qui tenaciter ei adheret, plurimum honoris consequetur; & quidquid inceperit, hoc fortunabit Dominus, inquit Siracides cap. 4.

Mansuetudine & clementiâ nulli majorum fuit inferior, quæ ita altè in ipsius animo radices egerant, ut ad asperiores quandoq; vivendi rationem incitandus videretur. Neque tamen à opynctas vitio laboravit: quin designata ab improbis maleficia pœnis vindicanda censuit, istud sequutus, quod Ambrosius dixit, Irascimini, ubi est culpa, cui irasci debeatis. Et Chrysostomus, Qui cum causâ non irascitur, peccat. Liberalitate cunctos in Imperio Principes superavit: quanquam negari non possit, fuisse, qui eâ abutentes fluidum Liberalitatis fontem exhaustum voluissent, nisi emergentibus eâ ex re incommodis edoctus tandem Princeps manus contraxisset. Laudanda in ipso Continentia, qui à spurcitie, atque illicitis amoribus, dum vixit, alienissimus, exemplum quod in usum traherent, multis præbuit, licet subinde ad aulam Upupa turpes advolarent, quæ turpiloquiis, lascivis ac fesceninis sermonibus castis auribus obstreperent, ijsq; impudicitie virus adflare conarentur. Quin edicto publico cavuit, ut qui libidinum fœditate semetipsos, ac Christi in primis Ecclesiam conspurcarent, gravi animadversione plecterentur, legem amabiliorem suo reddens exemplo: scitum enim illud Claudiani,

Primus jussa sibi, Tunc observantior æqui
Fit populus, nec ferre vetat, cùm viderit, ipsum
Authorem parère sibi: componitur orbis
Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quàm vita regentis.

Nec sicco pede pratercundum, quòd Beneficentiâ in pauperes, calamitosos, exules, quique ob veritatis confessionem, alijsvè de causis vim & injuriam passi essent, ita Princeps flo-

ruit,



ruit, ut asyllum constiueretur omnibus, Tiberij exemplum imitatus, qui nunquam quidquam defuturum fisco regio dixit, quandiu pauperes eleemosynam acciperent. Fuit certè Princeps ijs qui tenuioris fortunæ essent, copiosa messis, adflictis persugium, pupillis solatium: idq; divina vox præcipit, inquiens, Instar patris esto pupillis, & eris tanquam filius altissimi, (Sir. 4.) Et in Iobo, cap. 31. Ab infantia mea crevit mecum miseratio, & de utero Matris meæ egressa est mecum. OTIUM angue pejus fugiebat, ut qui cognitum haberet, nihil tam dictu fœdum, factuq; improbum esse, quod non alat mali omnis nutricula & mater desidia. Rectè Hieronymus, Non facile capitur à diabolo, qui bono vacat exercitio. Quò & Plutarchi illud pertinet, qui, Ingenium hominis, inquit, ceu cariem & fenium in orio contrahit: Semper igitur aliquid operis faciendum, ut nos Diabolus inveniat occupatos. Pacis studium, dum vixit, coluit, licet causa non deessent, quæ Celsitud. ipsius arma potuissent induere. Vidit videlicet, quantum Pax bello, salus publica ruinis, exitio vita præstaret, quàmque jucundum civibus esset, pacatâ frui gubernatione. Tale profectò Pacis bonum est, ut in rebus creatis nil gratiosius soleat audiri, nil delectabilius concupisci, & nil utilius possideri, ut Augustinus loquitur. Hinc pacis constituendæ causa de jure aliquando suo cessit, utq; idem alij Principes in usum traherent, amicè eos cohortatus est. Ad Matthiam Archiducem Austria, qui infestis signis anno 1608. Praga minabatur, communicato cum Electore Brandenburgico consilio Legatos cum literis mittit, sumq; ut arma deponat, amicè cohortatur, minimè defuturus Imperatori, si quid hostile adversus ipsum fuisset susceptum.

FRATRES

FRATRES INCLYTOS in precio habuit, fovit, dignitate ac opibus auxit, cumq; consilia cum ijs sapè communicaret, minime gravatim concessit, ut in Dresdensi urbe sedem quisque peculiarem haberet, multumq; cum Electore emolumentorum ac sobria jucunditatis haberent commune. Quæ res multis sapè illud Psalmographi in mentem revocavit, qui, Ecce quam bonum (inquit, & quam jucundum habitare fratres in unum! cuius pronunciati sensus est, Dicitur non posse, quantum κενήλιον sit Concordia domi, foris, inq; omnibus vitæ ordinibus quidq; movere atq; impellere debeat homines, ut aurea Pacis studium religiosè colatur ab omnibus, Bonum, inquit Psalmographus, & jucundum est, ita quidem, ut cor hominis omnesq; animi vires adoratissimi Balsami instar recreet, idq; vi ac virtute sua efficiat, ut Pacis beneficio omnes vitæ status floreat, quemadmodum Veris tempore, cum ros decidit, sata rigantur, suumq; terrâ nascentia omnia capiunt incrementum: Quin tantum è Concordia Boni emergit, ut ejus potissimum beneficio Dei in nos dona ac benedictio largè effluant cum felici rerum omnium prosperitate & copiâ. Equitum ordini provehendo, ornandoq; plurimum semper studuit, eorum præsertim, qui majores habuissent virtutis laude rerumq; gestarum gloriâ illustres. De urbana nobilitate, quam novam dicunt, minùs laboravit: Quæ cum à fundis ut plurimum, ac opibus per mercimonia quæ sitis minimeq; majorum gestis ac imaginibus, nec etiam à virtute aut doctrinâ primordium capiat, iisdemq; quibus cæpit rebus foveatur: rarissimè ad alterum seculum se extendit, cum fortunâ recedente ipsa mox cesset nobilitas. Verior itaque ac sincerior habenda, quæ generosis edita majoribus eorumq; præclaris vestigijs insistsens pari cum ipsis passu ad virtutis amabile

bile

bile decus contendit, idq̄ assidue præ oculis habet, quod Lucanus scriptum reliquit,

Perit omnis in illo

Nobilitas, cujus laus est in origine sola:
Felix qui tantis animum natalibus æquat,
Et partem tituli, non summam ponit in illis.

Multa subinde evenerunt adversa, quæ vel fortissimi viri animum de statu suo potuissent deicere: Agrorum sterilitas, lues popularis loca per illustrem ditionem haud pauca infestans, αιωοππαγία brevibus intervallis recurrens in proprio corpore: Exusta est Verda Episcopalis, exusta Annaberga (anno 1604.) Mariebergum, Volckenstenium (an. 1610.) Fuerunt vicini, pagi, oppida, quæ ingens ab incendijs atq̄ inundationibus detrimentum passa sunt. Vidit loca Ditionis haud pauca, copiosa olim & frequentia ad paupertatis scopulos temporum injurijs adigi: Vidit multa turbari in Imperio, quæ nisi Dei consilio in tranquillum redigi non possint: Vidit infeliciter rem geri adversus Turcas: Vidit Imperij decus ac dignitatem imminui: Vidit Theologorum utrâq̄ in Academia florem, multisq̄ locis viros præclaros, rebusq̄ communibus haud parùm frugiferos præcipiti fato è vitâ egredi. Fato fungitur anno 1602. David Peiffer Cancellarius Iuriumq̄ Doctor: nec multò post VVolfg. Schönbergius in Polsnitz, Præses Stolpensis ac Radebergæ: Johannes ab Osterhausen, militum ductor ac Tribunus: nec non Abrahamus Bock vir magnæ authoritatis & sapientie, tribus Saxonie Electoribus, ipsiq̄ etiam Præelectori Fridrico VVilhelmo à consilijs intimis, idemq̄ Curie provincialis supremae Lipsiensis Iudex: Leonhardus à Milcka Consiliarius anno 1604. eodemq̄ Henricus ab Eckersberg aule Magister: Stellanus ab Holtzendorf Cubicularius Præfectusq̄ Mülbergæ anno 1605. quo


M

& Gene.



& Generosus Burckhardus Schenck liber Baro in Tautenburgk
 magnâ in primis gratiâ florens apud Principem satis concessit:
 Georgius item à Schlewitz vir praestans, magniq; in primis in-
 genij, Camerae Electorali Praefectus, anno 1608. eog; ipso Chri-
 stophorus à Schönbergk, locorum metallicorum Praeses: Chri-
 stophorus à Los in Pülnitz, Caesarea Majestati atque Electori
 à consilijs intimis, sacriq; Imperij Thesaurarius, vir magna in-
 primis prudentiae, auctoritatis & consilij: anno 1609. Henricus
 Abrahamus ab Einsidel Consiliarius, proximoq; post Johan-
 nes à Crostowitz nefarie interemptus Freibergae: Salomon Al-
 bertus Medicus: Rorarius Ludovicus Person, Bادهornius,
 Goldbeckius, Gödelmannus, atque hi quidem Legum Docto-
 res omnes ac Consiliarij Electorales eximij. Ex Theologis au-
 tem Volckmarus, Hunnius, Schilterus, Beccerus, Rungius,
 Gesnerus, Mylius, Polycarpus denique Lyserus cum Conrado
 Blata Collega, Johannes Copius Medicus ac Mathematicum cul-
 tor, ut & Jöstelius, alijsq; non pauci, quorum jucunda Principi
 & proficua fuit conversatio: Vidit multa passim locorum fieri,
 quae divinum numen ad justam indignationem provocare, re-
 rumq; mutationem accelerare posse videbantur: Neque tamen
 in tanto malorum concursu ac turbine vel fremere, vel animo
 deijci visus est, Quin vultu ac mente tam laetis, quam asperis
 eadem semper constitit, ita, ut nec tristibus succumbere, nec la-
 tis efferrî atque efferari Principem quisquam cerneret. Artis
 quippe est prosperis rectè uti, adversos fortunæ flatus
 emendare consilio: in omnibus Deum spectare cum
 salutari ejus auxilio: id quod Psalmo LXXIII Asaphus
 pronunciat, inquiens: Tenuisti (Domine) manum meam,
 & in consilio deduxisti me, & cum gloria suscepisti
 me: Quem alium igitur in caelo & in terra praeter Te

desi-



desiderem? *Et apud Esaiam, Ad punctum, (inquit Jehovah) in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te: in momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui, Esai. 54. Quæ firmior, viridior ac melior multò consolatio est, quàm quæ è Gentilium scriptis petitur, qualis illa Horatij est, lib. II. Carminum:*


Sperat infestis, metuit secundis
 Alteram sortem benè præparatum
 Pectus: informes hyemes reducit
 Jupiter: idem
 Summovet: non si malè nunc, & olim
 Sic erit.

Mortem Princeps etsi magnoperè non optavit, tamen neque admodum perhorruit, persuasissimum habens animo, quacunque in Mundo sint, lubrica esse, viscosa, vanitatis plena, incerta, in lapsum ac ruinam prona: ac proinde cælestia, spectanda, ad quæ quicunque adspirent, per fidem ac patientiam promissam obtineant hereditatem, Ebr. 6. Hinc paucis ante obitum mensibus, Video, inquit, fastidio me haberi, parùmquæ gratam nonnullis esse meam gubernationem: Evocabit me ad meliora Deus propitius, ut cum ipso beatisquæ omnibus sim perpetuò. Minimè certè (invitus scribo) desuerunt, qui in vitia Principis, non virtutes animis defixi mutationem sollicitè expectare, sibiquæ vel aurea secula policeri, si quid humanitus accidisset, fuerunt ausi, incogitantiam ea ratione suam prodentes melioris judicij hominibus, qui Principum errata non morte dissolvenda,

aut casibus insperatis tollenda, sed precum interventu divinitus mollienda, sananda ac tempore emendanda rectè arbitrantur. Secus qui faciunt, dicto illi se ad fines reddunt, quod XX. cap. Proverbiorum extat: Malum est, malum dicit possidens, & cum abreptum est, tunc gloriabitur: Quo cum per vulgatum illud congruit: Præsentem virtutem odimus, amissam ex oculis quærimus invidi. Et alterum: Tunc demum nostra homines intelligimus bona, cum quæ in potestate habuimus, ea amissimus.

Negari quidem haud potest, sua Principi vitia, suos natos fuisse. Verissimum enim illud vulgare, Cuiq; proprius attributus error est. Et quid in Mundo vivere aliud? nisi in densissimo vepreto, interq; spinas versari; quibus minimè laedi divina opis est, haud virtutis nostra: in primis q; cum & caro per peccatum ita depravata sit, ut facili momento ad malè agendum proruat, sitq; scandalorum tam copiosa seges, ut supra communem hominum sortem videatur assurgere, qui eorum laqueis non capiatur. Ceterum cujusmodi illa fuerint, nihil attinet commemorare: cum ijs, quibus volupe est in Principum errata odiosè inquirere, eaq; exaggerando deteriora reddere, satis nota sint, à pijs verò & cordatis viris charitatis pallio tegantur. Licet autem omninò aliqua, nec quidem tenuia essent, ejusmodi tamen fuerunt, quæ virtutum cultu ac studio facile obscurabantur, præsertim cum verâ animi penitudine ea abstergeret, ac sensisset, si quid pravi esset, deponeret. Id potius dolorem movet, quod nullo unquam tempore defuerint, nec adhuc desint, qui ad rerû gubernacula collocatos Principes ad carnis illecebras vel invitos trahunt, rem tenuem nec magni momenti esse publicam rerum administrationem temerè affirmantes: Quales qui sunt, haud facile permittunt Principibus, rectè agendo inclarescere,

sed




sed in vitiorum gurgites unà secum abripiunt, eò ipsos omni ope ac impetu flectentes, quo naturâ feruntur: dummodò ipsi rem faciant, ac veluti fuci inertes ac corvi famelici Principum fortunas exhauriant. Quo nomine optandum erat, tales in aulis esse, quorum consortio juvari Magnates possent. Infallibile certè in Principe bonæ mentis indicium est, si eos sibi in consilio socios, in contubernio amicos adjungat, qui & ipsi famâ celebres sint, & Principem meliorem reddere per virtutem possint. Observavit hoc vir secundum cor Dei Psaltes Regius, sic inquit Psalmo CI. Malignum non cognoscam, detrahentem secretò proximo suo perdam, qui superbis oculis & elato corde est, hunc non feram: Oculi mei ad fideles versi in terra, ut habitent mecum: ambulans in via immaculata hic mihi ministrabit, non habitabit in medio domus meæ, qui facit dolum: qui loquitur mendacia, non stabilietur in conspectu oculorum meorum: manè perdam omnes impios terræ, ut disperdam de civitate Domini omnes operantes iniquitatem. Verùm aliud hodiè seculum, alij mores sunt. Aditum ad Principes querunt belluones, Apitiij, Parasitastri, civium osores, agricolarum flagella, toti in comtum, cultum ac curam corporis projecti, decoctores, voluptuarij: Quibus ni obviam eant cum Principes ipsi, tum qui à consilijs sunt, aut jus & justitiam administrant, duras profectò oportet esse subditorum partes. At fregit ipsorum conatus civium suorum amans Princeps noster, nec quò voluerunt, progredi permiserunt Consiliarij intimi, alijq; sapientia, virtutis, integritatis honestatisq; laude conspicui, Quos Dei beneficio aula haud paucos habet, fovet, eorumq; consilia; non secus ac divini numinis responsa in animum admittit suum. Neq; sic tamen caveri in tantâ hominum perversitate potuit, quin

multum ubique vitiorum esset, intraq; ditionem quaedam admodum indecora, bonisq; moribus nocentia, frustra obnitente Principum virorumq; prudentum curâ, fide, consilijs, monitisq; saluberrimis paulatim invalescerent. Quorum è cumulo tria duntaxat attingemus. Primum vestium luxus est: alterum Intemperantia: Tertium Impudicitia.

In vestitu quidem Coma apposititia, $\omega\epsilon\iota\delta\epsilon\lambda\textcircled{\text{C}}$ κόμη, hemicyclus videlicet capillaris fronti inherens, qui Græcis, ni fallor, est $\lambda\acute{o}\phi\textcircled{\text{C}}$ $\textcircled{\text{C}}$ τῆς κεφαλῆς Principum matronarum gestamen, Gallis, Italis, Anglis familiare, adeoq; minus improbandum, nisi ad inferioris sortis ac fortune fœminas transeat, quibus vel ratio suadere poterat, convenire ipsis, ut se multò, quàm Principes gerant submissius: Circulus ferreus, à quo succinctoria pendent, quod nostri à Batavis, hi ab Anglis, illi à Florentinis mutuati sunt: Nudatum pectus aut pretenxi telâ obvolutum Venetarum more: Calcei, quibus aurum netum aut tela preciosa intexta sunt, quale quid de Agnone quodam Alexandri familiari, sed muliebriter ignavo proditum est, clavos aureos gestare solitum fuisse ($\chi\epsilon\upsilon\sigma\acute{\epsilon}\varsigma\ \eta\lambda\kappa\varsigma\ \epsilon\upsilon\ \tau\alpha\iota\varsigma\ \kappa\eta\eta\pi\eta\sigma\iota\upsilon\ \epsilon\phi\acute{o}\rho\phi$) Librorum lectio, quibus lascivia plus, quàm sobria honestatis inest, ita, ut sub mellis dulcedine amorum ac vanitatis virus occultent, oleum prima fronte exhibentes, cui in fundo scorpj admisti sunt: Nec sanè ludibrio caret, quòd fœmine reperuntur, eò vanitatis progressa, ut linguam patriam fastidio habentes, Gallicè balbutire incipiant: Gestantur ab ipsis periscelides, adstrigmenta, signa militaria, quod nonnulli (haud scio quàm rectè) interpretantur, langvescente paulatim armorum studio, fœmineum sexum ad virtutem bellicam accendi ut olim Amazones: Viri interim plagulas gestant in dextro humero, rose in morem circinatas ac contortas, in

favo-



favoris familiaritatuq; resseram: Ad novationes in virili sexu refero τὸ κρηῖον, comam gerere intonsam, quod olim luctus indicium praeiuit. Aristophanes ridiculè compositâ voce σποδοασυπικρότερας, nigram & villosam comam nutrientes appellat. Accesserunt (ne quid deesset ad luxum) ἐνώτια sive ἐκδότια, Inaures, quae sunt uniones aut lapilli preciosi, Asiaticorum exemplo ab auriculis penduli: quibus aliquando pili amatorum capitibus detracti intexti sunt. Nec dissimulandum, quòd spretis iam aureis, argenteisq; monilibus in gemmas, margaritas, stricturas vitreas, & huiusmodi quifquillas omnis propemodum pecunia profunditur. Mulieres Pythagoræi amiciri voluerunt vestimentis μετρίοις καὶ λευκοχρωμάτοις, modestis & albi coloris, qui ingenuitatis & sinceritatis symbolum est. At de vestitu luxurioso rectè affirmatur, quòd sit profusio donorum Dei, superbiae vexillum, fontes libidinis, pudicitiae ruina, argumentum levitatis, ordinum confusio, Dei offensio, Domus & familiae naufragium: vino certè ac luxurioso vestitu, imprimisq; impudicitia omnes virtutum nervi eliduntur.

Alterum quod haud siccis oculis intuentur p̄y, illud est, quòd in conviviorum apparatus, in epulis publicis, in funerum pompis, in aedificiorum structuris, in victu quotidiano, apud summos, imos, mediocri fortuna homines, ita jam crevit luxus, ut frustra reclamantibus divinis humanisq; sanctionibus omnia penè Misnia, quid Misnia dico? imò omnia Europa loca diluvij instar inundarit, certam atq; exitialem secum trahens fortunarum, in ditionibus praesertim non usq; adeò copiosis, ruinam. Imitantur videl. Argivos, Corinthios, Sybaritas, Thraces, Illyrios atq; imprimis Colophonios, de quib. proditū est, intoleran-

dam

dam luxuriam perniciem ipsis cum perpetuâ infamiâ attulisse. Nam & splendido vestitu (ἐοῦντι πολυτελεῖ) superbiebant, & mensæ intemperantiâ supra modum utentes ad injurias in super & contumelias proclives erant. Certè quot hodie proceres, quot cives cernis (bonos ac moderatos locis omnibus semper excipio) tot cernis gurgites, amphoras, utres ac infundibula (χῶνας) ut per risum Græci Gulosos appellarunt. Rexè profectò ageretur, si cum Platone ita quisq; cœnaret, ut postridie benè haberet: At ita ferè epulamur, ut non tam vinum, quàm morbos animiq; vitia hausisse videamur, ejus haud memores, quod de Christianorum convivij Tertullianus in Apologetico commemorat, inquiens: Comeditur, quantum ad famem valet depellendam: tantum bibitur, quantum satis est pudicis & castis: soluto convivio non egrediuntur ad vagationes aut libidines, ut qui sciant, sibi noctu quoque orandum esse, sed quasi comederint & biberint disciplinam. Libet hoc loco adscribere gravem querelam, quam Polycarpus Lyserus ὁ μακαρίτης in expositione capituli V. Danielis Prophetæ, Epulo Babylonico his verbis intexuit: Quid hodiè, inquit, inter nos Germanos magis vulgare est, quàm indulgere ebrietati, certe poculis & ita indulgere mero, ut neq; manus, neq; pedes, neq; mens, neq; animus officium facere possint. Potatur privatim, potatur publicè, adeò, ut nostri homines nihil fausto omne inchoari, nihil feliciter perfici, nihil penè transigi, nihil ad optatum finem perducì posse putent, nisi largius bibatur: Nasctur quis? potatur: Moritur? potatur: Exequijs funus condecoratur? potatur: Nuptiæ celebrantur? potatur. Pacta firmantur? potatur: Negocij quidquam tractantur? potatur: Nihil deniq; ritè tractari posse existimatur, nisi vino omnia madeant: Potant Domini, potant servi: absq; ferè discrimine potant nobiles, rustici,



stici, docti, indocti, sacerdotes, laici, senes, juvenes, mares, fœmina: Vinum ubiq; dominium tenet, ubiq; regnat, ubiq; transigit, omnia firmat, omnia roborat: absente vino omnium negotiorum spiritus atq; anima abesse videntur: Usq; adeo vino pleriq; astuamus, ut ob vinum, in vino atq; ad vinum nati videamur. Hæc ille. Rectè omnino & piè quidam in Paranesi ad Mironem Gallicie Regem, Ede, inquit, citra creditatem, bibe citra ebrietatem, nec præsentibus deliciis inhærebis, nec desiderabis absentes, Victus tibi ex facili sit, nec ad voluptatem, sed ad cibum accede: palatum tuum fames excitet, non sapor: Poculorum certamina, *Basilio teste*, authorem & moderatorem habent Diabolum, præmium victoriæ peccatum, apud bonos omnes ignominiam. Adde, quod vitæ terminus ebriosis plerumq; abrumpitur, idq; in eos competit, quod *Horatius* (licet non nihil alio sensu) scriptum reliquit:

Lulisti fatis atq; bibisti,

Tempus abire tibi est, ne potum largiùs æquo

Rideat, & pulset lasciva decentiùs ætas.

Tertium Incontinentia est, & è pessimâ hac radice pullulans libidinum, ac scortationum confusio, gentilibus propria, ijs verò, qui Christi fidem sectantur, labes, dedecus, ruina, pernicies fidei, ac gratia divina profusio. Vires quærere videbatur atrox hæc pestis: Vidit pius Princeps: vidit, inquam, & indoluit. Argumento est, quòd monstrum hoc informe domandum suscepit, adeoq; edicto publicè proposito funditus eradicatorum voluit. Summa edicti in angustum contracti hæc est: I. Maritus, qui cum uxore alterius sciens ac volens adulterium commisit, capite plectatur, ut & adultera: nec in tali casu locum habeat reconciliatio. II. Mulier marito

N

juncta

juncta si cum adolescente, aut contra, maritus cum in-
 nupta adulterio se polluit, adeoq; in capitis poenā ipso
 facto incurrit: licet in matrimonii honorem utroq; in
 casu reconciliatio eā ratione concessa fuerit haecenus;
 ut innocēs pars alteram adulterii crimine ream actam
 atq; convictam, si porrò ipsi cohabitare velit, extra ter-
 ritorium sequi teneatur: Tamen reconciliatione mu-
 tuā non obstante, juxta Constitutionum tenorem so-
 luta persona, quæ cum alterius uxore rem habuit, gla-
 dio percutiatur: Innuptam autem puellam vel viduam,
 quæ in cōcubitum nefarium ejus, qui maritus est, con-
 sensit, virgarum verberatione coërcitam ditione exce-
 dere jubemus, illud præterea statuentes, ut adulteri si-
 ve adulteræ ejectio illa haud temerè in multam pecu-
 niariam commutetur, quin pro delicti potiùs ratione
 tam exilio quàm carceris poena pro judicis arbitrio pu-
 niatur. *III.* Maritus, qui uxorem, parentes, qui liberos
 ad libidinem prostituunt, si quæstus turpisve lucri cau-
 sa id fecisse deprehendantur, capite plectantur: Sin se-
 cus, virgis cædantur in publico cum perpetua nominis
 infamia atq; exilio: si verò, qui vel conjugatas personas,
 vel liberas lenoniis artibus, amoribus illicitis impli-
 cant, siue commodialicujus gratiā, siue mercede nullā
 id fecerint, carceris poenā, vel exilio, vel fustigatione,
 publicā coërcantur. *IV.* Scorta publica ditione eij-
 ciantur: Solutæ personæ, quæ illicita cum ijs patrant,
 carceris poenā afficiantur: Aliæ verò personæ, quæ non
 meretricio more publicè sed clanculum scortatione
 se polluunt, de finibus Jurisdictionis illius pellantur: ij
 verò, qui ejusmodi personas tecto recipiunt, carceris

poenam



pœnam subeant. Quòd si juvenis cum puellâ aut viduâ, quæ priùs famæ integræ fuit, concubuerit, nec eam ducere voluerit: non modò pro conditionis qualitate dotem ei constituat, foetuiq; de alimentis prospiciat: sed & carceris pœnâ affectus loco eijciatur, Ipsa verò compingatur in carcerem. Cæterû cum res doceat, ad ejusmodi illicitos concubitus haud parùm facere luxum ac victus intemperantiã, obscœnitates verborum, cum nocturnis evagationibus, choreis, lusibus, congressibus, nec non vestitu lascivo, ac indecoris gestibus, itẽq; quòd judiciorum præfides in delinquẽtes pecuniarias aliasq; id genus multas decernunt, suum ac suorû magis quàm publicû spectantes & sectantes commodum: Sub acris vindictæ comminatione edicimus, ut juxta Scabinorum sententiã in commemoratis casibus executionem Judices instituant, à multis pecuniariis omnimodè abstinentes. Severè quoq; monemus patres familias, ut quæ ad illicitos amores occasionem quoquo modo præbere videntur, in suum ipsorum ac familiæ honorem, decus ac commodum tempestivè è medio tollant, ut turpissimo huic vitio obviam tandem eat, honestas publica cum disciplinâ morum fervetur, adeoq; justa Dei indignatio ac pœnæ, quæ ingruunt, à cervicibus nostris propulsentur. (XXX. Septem. an. 1609.)

Incrementum per provinciam passim cœperat res usuraria, inhiantibus proximi fortunis contra Christianæ charitatis regulam, suumq; ex incommodis aliorum commodum parùm piè comparantibus plurimis. Edictum igitur ab Augusto Electore anno Christi 1583. propositum à Principe nostro Ordinum rogatu renovatur, testante programmate anno 1609. die XXI.



Octob. publicè edito, cuius summa est. I. Quàm turpe ac detestandum crimen sit Usura, quantumque ex eo incommodi ad alios redeat, nemini obscurum est. Ac licet in sacris literis, constitutionibus Imperialibus, itemque edictis anno 1550. quintoque anno post publicè à nobis propositis sub gravissimæ poenæ comminatione eâ Interdictum sit: Tamen minimè obstantibus his omnibus nefarium hoc vitium hisce in terris vires indies magis magisque acquirere comperimus: in primisque varia à nonnullis artificia quæri, quibus usuræ palliari ac poenæ in foeneratores constitutæ eludi consueverunt. Sunt enim qui cum octingentos aureos mutuò dent aliis, in Sygraphis mille transscribi, aut pro argentea moneta auream reponi volunt: Sunt, qui ob non longi temporis moram, quæ solutioni expediendæ intercedit, multas pecuniarias debitoribus irrogant, aut sortem concreditam ad majorem summam extendunt: Nec desunt, qui pecuniam foenori exponentes annonam, jumenta, animalium pelles, plumbum album, lanam, telam, aliasque id genus merces iniquissimo inscriptas atque æstimatas precio pecuniis adjiciunt, easque merces postea viliori multo precio per tertium quartumve emptorem suas iterum faciunt, adeoque prægrandi usurâ onerant debitores. Sunt, qui ultra foenus consuetum præmia peculiaria exigunt, aut, ut colore pingant usurarum iniquitatem, officiosas quasdam pensiones debitoribus extorquent: Sunt, qui in spacia menstrua, aut hebdomadas singulas, nec rarò in mercatus singulos foenus improbè faciunt, ex quo fit, ut pensiones quotannis ultra quincuncem usuram

vche-



vehementer exerescant: Sunt item, qui absq; fœnore pecuniam aliis ad certum tempus credito dant, ea tamen conditione, ut appetente solutionis termino & reddant pecuniam creditam, atque insuper majorem summam creditori, & quidem ad diuturnioris temporis spacium, nec rarò iniquissimis conditionibus mutuo dare cogantur: Nec desunt, qui, nisi constituto tempore nomina dissolvantur, suas faciant res pignori oppositas, licet majoris multò precii sint, quàm fœnori data pecunia. Quo jam ij quoque referendi veniunt, qui priusquam frumenta, Vinum & hujusmodi alia in agris colligantur, pecuniam dantes colonis, vilissimo precio fruges illas sibi postea vendicant, cum ingenti miserorum dispendio. *II.* Ad præcavendum itaq; & avertendum enorme hoc vitium priores constitutiones repetimus, ac denuò confirmamus, seriò demandantes omnibus, ut à commemoratis usuris illicitis sibi in solidum caveant, nisi graves pœnas incurrere velint, utq; ij, qui judicia exercent, mandatum hoc gnaviter executioni mandent. *III.* Sancimus præterea atque constituimus, ut contractus omnes usurarii, pacta, conventusq; illiciti, quocunque fanè nomine veniant, omnimodè caveantur, seriò iterum injungentes Judicibus, ut contractus ejusmodi irritos pronuncient, adeoq; illicitè ac improbè contrahentibus minimè subsidio veniant: Qui verò ejusmodi illegitimas usuras & contractus exercet, is non solùm quartam sortis partem, prout constitutiones nostræ jubent, amittat, sed & commissi sceleris pœnas alias dependat, siq; crebrò id factitasse deprehenditur, ditione eiiciatur. *IV.* Quia

verò adeò versuti quidam & callidi sunt, ut inito ejusmodi contractu illicito Syngraphisque extortis aliis postea (malè videlicet sibi conscij) eas cedant, ut latere interim queant ipsi, seq; judicum cognitione ac censuris eo pacto exolvant ac liberent: Constituimus, ut executio adversus cessionarium non minus atque in eum, qui contractum primum iniit, juxta poenam constitutam suscipiatur. *V.* Fit quandoque, ut qui illicitis ejusmodi student contractibus, Syngraphas ita efforment, ac si debitum illud liquidum inque prompta ac numerata pecuniâ contractum sit, ut vix ulla usuræ species, aut ulla ad sortem accessio appareat: postea verò, ubi ad executionem adversus cessatorem ventum est, hic verò usuræ illicitæ nomine lege adversus creditorem agere instituit: ille ad constitutiones nostras provinciales provocet, quibus ob justas & idoneas causas sancitum, ut Judices ijs, qui chirographa sigillis roborata producant, citra moram subsidio veniant: adeoque in abusum pessimo exemplo trahatur constitutio. Etsi autem à sanctione illa minimè recedimus, præsertim cum is, qui in ejusmodi illicitos contractus consensit, culpâ minimè careat, sibi que adeò ipsi imputare teneatur, si executioni subijciatur à Judice: Tamen si intra terminum executioni præfixum contra creditorem excipiat, suamque exceptionem veris documentis probet, executionem locum habere nolumus: Omnes ejusmodi syngraphas, in quibus contractus aliter atque revera facti sunt, exponuntur, aut quovis modo palliantur, seriò prohibentes, ac constituentes, ut quisque ab ijs, ut & clausulis illicitis, re-

nun-




nunciationibus, aliisque in fraudem usurariam ad-
jectis omnimodè abstineant. Secus si factum fuerit,
tàm in creditorem, quàm debitorem, qui sciens ac
volens ejusmodi fucosas Syngraphas scripsit, justis pœ-
nis animadvertetur. Quia verò etiam compertum ha-
bemus, turpe atque execrandum Vfuræ crimen nostris
in ditionibus eam quoque ob causam radices altiùs
egisse, quòd impostores quidam reperiuntur, qui nil
aliud agunt, nisi quòd lucri captandi gratia pecunias
in aliorum usum hinc inde conquirunt, Syngraphas-
que ad semetipsos, non autem ad eos, qui pecuniam
fœnori dederunt, dirigi volunt, adeoque ijs, quos
ob vitæ conditionem ac honores, quos gerunt, nefa-
rij fœnoris pudet, pro pallio sunt: aut etiam pecunias
ab aliis acceptas ampliori fœnori exponunt: seriò
iterum edicimus, ut magistratus inferior in ejusmo-
di personas diligenter inquireat, easque in ditione
minimè toleret, sed justo ac præfinito tempore ter-
ritorio excedere cogat: illud persuasissimum habens,
si solutè ac remissè hac in parte egerit, gravem &
ipsum reprehensionem incursum. VII. Cæterùm
optandum erat, ita observari Christianæ charitatis
regulam, ut de bonis, quæ liberali manu Deus con-
cessit, proximo alienæ opis indigo absque ullo quæ-
stu subsidio quisque veniat: Verùm eò extremis ac
difficilimis hisce temporibus redacta res est, ut vix
quisquam absque compensatione certa mutuum
det, prorsusque verendum sit, ne si usura omnis
tollatur, vix quisquam sit futurus, qui adjumento

velit

velit esse aliis, nevé viduarum ac pupillorum, eorumq; quorum res tenues ac vehementer attritæ sunt, res familiaris admodum in angustum cogatur, plurimiq; contractus ac commercia intercludantur atque impediantur, cum certo ac inevitabili totius ditionis detrimento: Adhæc experientia apertè comprobet, rem fœnebrem vel hanc ipsam ob causam tantopere invaluisse, quòd de pensionibus certi ac determinati nihil constitutum fuerit: Proinde Incltyti majores nostri usuras quincunces concesserunt: id quod in hisce ditionibus inde usque ab hominum memoria usu receptum, edictisq; publicè propositis permissum fuit. Et nos igitur adhuc permittimus, ut quinque de centum quotannis pendantur, inque hanc rem consensus præbeantur creditoribus, siq; res ad judiciariam cognitionem delabatur, executio quoq; in quincunces usuras instituatur, sive in Syngraphis mentio earum facta sit, sive non sit, ipse verò creditor fœnus urgeat. *VIII.* Neq; tamen hac concessione Christianam charitatem ullo pacto sublatam volumus: Quin clementer potiùs hortamur, ac seriò edicimus, ut pauperum rationem quisq; habeat, inq; pecuniis mutuo dandis ac pensionibus exigendis eum se exhibeat, ut & conscientiæ consuluisse videatur, Deoq; in primis rationem reddere suis temporibus intrepidè queat. *Die XXI. Octobris, anno 1609.*

Subjungo aliud edictum, quod pacem honestatemq; publicam ipsam quoq; concernit, quod sic habet: Quanquam sæpè aliàs, in primisq; III. Idus Junii, anno 1607, edicta à nobis publicata sunt, è quibus apparet, quid de militibus

exaucto-



exauctoritatis, ac Duce certo carentibus, aliisque; erroneis
 validisque; mendicantibus & quadruplatoribus, qui
 loca ditionis nostrae perreptant, fieri velimus, persuasif-
 simum habentes, subditos nostros promptè obtempe-
 raturus salutaribus monitis: Tamen ex gratissimis sub-
 jectorum querimoniis cognovimus, hominum istud
 genus vagabundum & erraticum cum mendicantium
 grege passim locorum in ditionibus nostris oberrare,
 magnaque; saepe importunitate stipem extorquere, mi-
 nisque; atque execrationum diris, nec non verborum atro-
 citate, injuriis damnisque multum molestiae facessere
 agricolis ac praedas pro libitu agere. Id verò quia per-
 molestum nobis accidit, nostrique; officii esse putamus,
 ab ejusmodi injuriis vindicare miseros subditos no-
 stros, quorum res satis alioqui in ista rerum omnium
 difficultate vehementer tenues atque attritae sunt: Idcir-
 co mandata superioribus temporibus ea de re edita re-
 novamus, omnibusque; ac singulis injunctum volumus,
 ut juxta illorum tenorem in ejusmodi errabundos, quos
 intra quattriduum à publicatione mandati territorii
 nostris omninò excedere & ad sua redire jubemus, se-
 dulò inquirant, eosque; si vim & injuriam faciant subdi-
 tis, aut quovis pacto delinquant, mandatum hoc no-
 strum transgrediendo, comprehendant, ac rem omnem
 citra moram ad nos referant, ut temerarii praevaricato-
 res dignas poenas dependant: inque; hunc finem, vigore
 superioris mandati subsidio alii aliis veniant, ac aera-
 mentorum clangore excitato, improbos è fuga retrahant.
 ut ad justam poenam pertrahantur. Qui verò integrè vitae
 famaeque; honestae milites sunt, nostroque; scitu in civitati-

O

bus



bus munitis sumtu suo vivunt, ac castrensibus instructi literis per ditiones nostras transeunt, nec vel damnum cuiquam inferunt, vel ullo alio pacto molestiam exhibent, sed precio res necessarias redimunt: ijs tutum transitum præberi volumus. Cùm verò etiam in Imperii Constitutionibus cautum sit, ut quævis civitas, municipium, oppidum, communitas suos alat ac foveat pauperes, minimeque permittendum sit, ut peregrini mendicando oberrent: nos verò certiores facti simus, hoc non obstante, multos passim locorum advenas esse, qui se ditionibus nostris illatebrent, ac mendicando rem faciant, verendumque sit, ne, quemadmodum improbum atque erraticum hoc genus hominum ac nundinarii mendici sub misera illa egestatis specie, furta, rapinas, cædes, aliaque indigna sæpissime patrârunt: ita etiam in posterum tale quid designare audeant: idcirco vagabundis istis mendicis utriusque sexus edicimus, ne ditiones nostras in posterum ingrediantur: qui verò in ijs adhuc hærent, à publicatione mandati hujus territorio statim excedant. Secus factum si fuerit, Prælati, Comites, Barones, Equites, Præsides officiorum, & qui in civitatibus munia gerunt, suo quisque loco comprehendi eos jubeant, perque dies viginti captivos agant, posteaque imposito juramento de non offendendo libertate donatos, abstinere deinceps à mendicando atque evagando omnimodè compellant, nisi durioræ pœna coërceri, ac quod deliquerunt, luere velint corporibus. Vestrum itaque erit, mandato nostro per omnia obedienter parère, inque prævaricatores

ultionis




ultionis poena justè animadvertere. Eo pacto, tam publicis, quàm vestris ipsorum commodis consuletis, facietisque, quod pro authoritate nostra fieri volumus ac jubemus. *IV. Aprilis, anno 1609. Dresda.*

Laudanda omninò Principum, eorumq̄, qui à consilijs sunt, Industria, fides, honestiq̄, amor, quem in cohibendis vitijs, virtutumq̄, cultu in subjectorum animis implantando, abundè declarant: praesertim si, quod sobriè, prudenterquè sancitum est, executioni fideliter mandent: vim enim amittunt Leges, si desint, qui eas custodiant. Quod in his alijsq̄ provincijs creberrimè usu venit, ut Leges quidem saluberrimè condantur, at pauci admodum pensi habeant, quàm obedienter servantur à subditis. Idq̄, vel è propria Principum Confessione patet, qui prima statim edictorum fronte querelas movent, jussa ejusmodi, licet antè quoque publicata sint, minimè tamen in usum vocata esse à subditis. Quod profectò aliud nihil est, quàm turpem inferiorum magistratuum, socordiam redarguere, qui suis ut plurimum rebus intenti ac quaestui habentes Rempublicam suo quemq̄, ferri consilio ac impetu sinunt: Quae res eorum porrò desidià alitur, qui edictis publicatis praclarè se jam functos munere arbitrantur, ac proinde nec censores in Civitatibus, neque in praefecturis νομοφύλακας constituunt, nec in delinquentes iusta animadversione feruntur, imò verò nec cordi nec cura sibi esse patiuntur, ut vel semel interrogent, quo modo mos edictis geratur à subditis.

Nimis verò altè tam intra, quàm extra ditionem radices egerant Execrationum dira, quae ad justam ultionem, divinum Numen ipse quoque inflammant. Eas Princeps edicto publico severè cohibuit, ut & permulta

alia, quae divinae legi, ipsiusque etiam rationis hortatibus adversantur, nihilque aliud nisi publicorum malorum suscitabula, fomes ac classicum sunt. Prohibuit, ut modo expositum, validorum mendicantium rabiem: militum grassationes coercuit: adversus incendiarios, fures, agrorum hortorumque depopulationes, ut & latrocinia ac voluntarias caedes gladium ultorem exacuit: Usuras & faeneratorum violentas exactiones gravi imprimis edito quod supra positum est, fregit, venatorum sevitiam in imbellem agricolarum turbam masculè represit, lege publicè latà, anno 1603. Martio mense, multaque praeterea salubriter emendavit, constituit, sanxit; licet negari non possit improborum malitiam vix ullis legum repagulis arceri atque infringi posse, hoc praesertim exulceratissimo seculo. Utque Metrodorum de virtute disserentem cives olim urbe eiecerunt, improbè clamitantes, Nemo nostrum frugi esto: ipseque etiam de populo suo apud Ezechielem Dominus conqueritur: Veniunt ad te in congregationem, & sedent coram te populus meus, & audiunt sermones, nec tamen faciunt eos: Sic multi hodie reperiuntur, quorum aures licet divinis humanisque jussis assidue personent: Suis tamen utentes ac viventes moribus, Dei contemptu, securitate, hypocrisi, contumacià, irarum ac odij flammis, convicijs, execrationibus, libidinum portetis, rapinis, imposturis, fraudibus, mercium corruptelis, calumnijs delectantur, quibus omnibus quandoquidem non pietas solum violatur, sed & ipsa divini numinis reverentia animis eicitur, verbumque sacrosanctum quo in belluationem, luxum in vestitu, libidinum foeditates, securitatem atque id genus peccata alia py verbi ministri nullis non locis per totam Germaniam invehuntur, pedibus quasi concalcatur, risui habetur, conspuitur, Iudaorum exemplo, qui ad sanctas Prophetarum cohortationes fremebundi ogganniebant,


A tum



Actum est, post cogitationes nostras ibimus, & unusquisque pravitatem cordis sui mali faciemus (*Jerem. 18.*) Et rursus: Percutiamus eum lingua, & non attendamus ad universos sermones ejus (*Ezech. 33.*) Imò adversus Deum ipsum tumultuantes dicebant, Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus: quis est omnipotens, ut serviamus ei? & quid prodest nobis, si oramus illum? (*Iob 21.*) Mirum profectò non est, pœnis publicis ubivis locorum flagrare omnia. His certè quidem terris morbi grassantur, incrementa passim capit fames, & cum fame lues popularis, imprimisq; egestas plurimos infestans atq; eos imprimis, qui parùm providi rerum suarum administratores aut otio disfluunt, aut luxu, aleâ, fastu immodico, convivijs ac pompis sua decoquunt: Extra ditionem disidijs concutitur Ecclesia: ipsis verò Rebus publicis fatalis videtur imminere ruina rerumq; omnium conversio. Edictum aliud subnecto, quo injuria ac defraudationes pauperibus illata gravi auctoritate cohibentur. Sic enim Princeps: I. Cùm perlatum ad nos sit, ob diversitatē mensurarum fraudem nonnunquam committi in præfecturis, ita ut in annonâ colligendâ medimni grandiores, in promendâ verò, distribuendâ ac admetiendâ subditis angustiores usurpari consueverint: sancimus, ut in quavis præfecturâ justæ ac consuetæ capacitatis medimni circulis ferreis munitus usurpetur, inq; dimetiendo nihil fraudis subdolæ à quoquam committatur: ita quidem, ut in subjectorum arbitrio positum sit, justæ capacitatis mensuram ad manus habere, ac quoties gravari se putant, ad præfecturam secum deferre: Idq; etiam in oppidis servari volumus, feriò caventes, ne in præjudicium ac fraudem vicinorum mensuras illâ ra-

tione vel augeant, vel diminuunt: utque subditis, quotiescunque annonam pendunt, apochæ nulla mercede tradantur. II. De vecturis graves querelæ ad nos perlatæ sunt, ingentem esse earum abusum, duriterque gravari subditos, quodque equestri ordinis subiecti, pari cum ijs, qui immediatè præfecturis subsunt, loco habeantur, quodque ad venatorum, calorum, eorumque, qui à ministeriis sunt, satellitum item, ac quorumvis aliorum nutum, jussum ac voluntatem alienissimo sæpè tempore, aliquando etiam ultra vires & facultatem ad vehendum quoslibet adigantur. Volumus igitur ac constituimus, ne in posterum subditi equos ad currum jungant, aut aliò quenquam deportent, nisi literæ à Consiliariis, vel Cameræ præfectis in promptu sint: aut si fortè aulæ serviant, rei que culinariæ aut vinarie operam dent, à Marschallo tamen vel aulæ moderatore subscripta ac sigillo roborata proferant testimonia, cum expressa eorum, qui vehendi sunt, indicatione. Quin si vel more introductum, vel lege (de qua tabulæ publicæ docent) sancitum extet, ut precium mediocre præbeatur vectori, ijsque locis, ubi bobus trahuntur currus, iusta ac conveniens pro cuiusque facultatum modulo, æqualitas & analogia eorum, qui equis utuntur, respectu servetur, porro quoque istud observari volumus, in primisque, ne ulterius, quam Præfecturæ illius terminus porrigitur, curru quisquam progredi cogatur, sub gravissimæ poenæ comminatione interdicens ministeris Præfecturarum publicis injusta lucri, quaestus ac largitionum quarumlibet captatione. Neque

verò



verò etiam vel venatoribus, vel ministris ipsorum, vel satellitibus permittimus, pro libitu conducere vecturas: Quod si quis (quicumque sanè fuerit) absque subscripta charta, vel minis, vel illicitis modis aliis vecturas quæstoribus, aut ipsorum amanuensibus extorserit: In vecturas illi quidem consentiant: rem autem prout gesta est, ociissimè ad aulam referant, ut quid factò opus sit, legitimè constituatur. *III.* Si vel Comitum, vel Baronum, vel Nobilium, civitatumque subditi, qui Dominis suis vecturas gratuitas præstare tenentur, cum ijs, qui Præfecturis subjecti sunt, mista servitia habent; secundum librorum (eorum imprimis, qui *γνησιον* censentur) tenorem præscriptumque de cætero omnia instituantur: Nec vel Comitum, vel Baronum, vel Nobilium, civitatumque subjecti geminis servitiorum graventur oneribus: Sed si ij, qui immediatè Præfecturis subjecti sunt, duas vecturas expediunt, Comitum, Baronum, Nobilium ac oppidorum subditi tertiam præstent: id quod etiam tùm, cùm vinum aut esculenta convehenda sunt, observari volumus. Si verò frumentum aliò importandum sit, juxta Tabularum indicationem, receptamque priscis temporibus consuetudinem, convenienti tamen tempore extraq; sementis ac messis terminos istud præstari volumus, cum expressa hac declaratione, ut iusta mensura præbeatur subditis, utque in frumentaceo genere centesimus quisq; medimnus in avenâ autem pendendâ duo de centum medimni ipsis cedant: quemadmodum etiam in rationib. quæ à Quæ-

storibus



storibus reiꝑ; frumentariæ præfectis redduntur, tantū
 ipsis defalcare concessum est. *IV.* In avenâ pendendâ
 eam moderationem adhiberi volumus, ut ijs duntaxat
 annis, quibus Aula eâ indiget, exigatur, idꝑ; propterea,
 ut pauperum habeatur ratio. *V.* Si structuræ, quarum
 ad munienda loca territorii, hostiumꝑue incursiones
 prohibendas inevitabilis necessitas est, excitandæ, aut
 inveteratæ reparandæ sunt, subditi onera, certâ tamen
 mercede Augusti Electoris temporib. constituta, æqua-
 liter sustinere tenentur: In reliquis, sua singulæ Præfe-
 cturæ curent, sartaꝑ; conservēt ædificia, nisi fortè sum-
 tus præter modum accrescant, Tunc enim vicinas præ-
 fecturas subsidio ipsis venire volumus. *VI.* Non per-
 mittimus, ut qui superioribus temporibus immu-
 nes fuerunt à præstandis servitiis, quando venationi-
 bus opera datur, onerentur: nevé turmatim convocen-
 tur rustici, nevé percutiantur, aut ullum sævitiaꝑ genus
 in miseros exerceatur. *VII.* Aucupiis modum certum
 constitui volumus, cūm deprehensum sit, agricolas
 alaudis noctu insidiantes simul etiam perdices ac le-
 pusculos venari suosꝑue facere. *VIII.* Constituimus
 prætereà, ne in Præfecturis nimia inquilinorum copia
 sit, sed unis in ædibus haud plures uno conjugatorum
 pari recipiantur. *IX.* Quæstoribus interdiciamus, ne res
 edules dimidiato precio redimant à colonis miseris,
 sed eo in precio quod constitutum fuit majorum tem-
 poribus.

*Leges sumtuarias ad cohibendum in vestitu, Pompis, stru-
 cturis, conviviorum apparatus, alijsꝑ, luxum nefarium &
 execrandum optimus Princeps subinde ferre instituit. Eaꝑ res*


opta-

optabilem finem sortita fuisset, nisi molestè quidam obstitissent: Id quod multos in eam opinionem adducit, Deum, cuius vindex oculus contra facientes mala semper apertus ac pervigil est, ut vel memoriam eorum perdat de terra (Psal. 34.) pœnas à nobis suo tempore expetiturum, haud absque fortunarum ac commodi publici dispendio.

Sed ad Principem redeo, qui quo exitu vitam clauserit, supra expositum est, eo videlicet, qui multos & bonos quidem attingit, minimè à beatorum consortio dirimens animam, quæ fidei charitatisq; nexu cum Deo fuerat copulata: ut minimè dubitem, vel morbo altè gravato sensuumq; ministerio (circa extremum imprimis migrationis articulum) destituto, adversus Satanam tamen ac tela ejus ignita, secundum internum hominem, spiritu ac fide dimicanti eternitatis coronam paravisse Dominum: Hortator enim suis Deus est, ut pugnent, pugnantibus subsidio est, ut vincant, infirmos allevat, corde contritos sanat, robur addit, ut aquilæ pennas assumant, vincentes coronat (Esai. 40.) Exuvia ad arcis Templum delata populo spectanda exhibentur die ab obitu III. nempe XXV. Junij, homiliam ex Psalmi LX. primis versiculis instituyente concionatore aula. Servantur in Templo ad IV. usque Augusti, quo denique ad S. Crucis templum, ipso meridie, ac die postridiano Freibergam deportatae sunt, ubi ingenti bonorum luctu majorum tumulis conduntur VI. Augusti: Sarcophago hæc verba inscripta sunt: Christianus II. Dux Saxoniae, Juliaci, Clivæ & Montium, Sacri Romani Imperii Archimarschallus & Elector; Princeps animi juxta ac corporis dotibus insignis, prudens, fortis, beneficus, pietate in Deum, constanti fide in Cæsarem, amore in patriam, æquitate & clementiâ in subditos,

P


nulli




nulli majorum secundus, gravis nemini, jucundus omnibus, bello Juliacensi sine caede & sanguine sopito, in complexu suavissimæ & laudatissimæ Conjugis maximum sui desiderium relinquens, piè in Christo obdormivit XXIII. Junij, horâ X. post merid. anno MDCLXI. postquam vixisset annos XXVII. Menses IX. Dies XXIII, & regnâisset annos IX. M. IX. D. XXIII.

Atque hoc pacto Princeps è mundo abiit, cum prius & vidisset, & experiundo cognovisset haud pauca, quadam verò etiam prudenter constituisset. Vidit Christi gloriam verbiq; cælestis puritatem hisce terris florere, locis autem finitimis proculq; disitis magis magisq; incrementum capere: Vidit satis amabile decus Imperio Romano divinitus conferri, præcis ferè, quæ ad dissidia serenda faciunt, occasionibus: Vidit rem œconomicam per amplissimas ditiones fractam ac convulsam, sensim reflorescere, decrescente paulatim luxu, consiliumq; seriò capessente illustri animo, quo vectigalia cum publicis oneribus temporum progressu imminui, civesq; ab exactionibus, quas temporum iniquitas invexerat, respirare possent: Vidit in florentissimo Galliarum regno Regis Reginae atque Ordinum consensu, approbante supremo iudicio, quod Parliamentum vocant, Religioni pacem concessam esse: Vidit conspirationes, adversus Iacobum VI. Angliæ Regem affinem, subindè susceptas, in nervum erumpere, inq; suos recidere authores, adeoq; ad spem tranquillitatis in celeberrimâ insula spectare omnia: Vidit inducias in duodecennium initas, pactisq; mutuis roboratas inter potentissimum Hispaniæ Regem ac Belgij ordines: Vidit Juliacense negocium optabili


tandem




tandem exitu finitum iri redintegratâ inter Principes dissen-
 tientes amicitia: Sed & dotale Inclytæ ac Celsissimæ Principi
 uxori transcribi tempestivè jussit, profecturas nempe quas-
 dam cum splendidissima arce Lichtenbergicâ: quorum amœnus
 nec nullis locis admodum fertilis tractus est, pascuis nemori-
 bus, feris, fluvijs piscosis abundans: Augusto fratri, consen-
 tiente Illustrissima matre Sophia, Duceq; Johanne Georgio Spon-
 sam quesivit Elisabetham Brunsvicensem Henrici Julij Ducis
 magnanimi ac sapientissimi inclytam filiam: Vidit Donawer-
 dam Imperio, sibiq; ipsi ac Christo, à quo Pontificum tyrannide
 exulare coacta fuerat, restituendam: Vidit Polonos occupa-
 ta Smolenzko præclara admodum in Rusiæ aditu, vastæq; ma-
 gnitudinis civitate, ad Borysthenem sita, victricia arma in
 ipsam Moschoviam intulisse: Vidit Ostendam Flandriæ post
 triennem obsidionem Hispanis deditam: Contrâ Slusam
 præclarum & ipsum oppidum Hispano militi extortum in Mau-
 ricij Ordinumq; transisse potestatem: Christianum IV. Da-
 niæ ac Norvegiæ Regem cognatum & affinem adversus Ca-
 rolum Suecum bellum magnis parare viribus obsessâ Calma-
 riâ: Vidit Turcorum exercitus à Persarum Rege aliquot se-
 cundis prælijs attritos esse ac profligatos: Vidit Inclytam ma-
 trem cum Ducibus fratribus omni laude conspicuis dignitate &
 authoritate florere apud subditos: Vidit agnatos Saxonie Du-
 ces Coburgenses, quos intimè charos semper habuit, prospe-
 ro fortune flatu uti, Juniores verò Saxonie Principes, Alden-
 burgi & Vinariæ aula sedem habentes, ad eximia virtutis
 spem feliciter succrescere: Vidit suum ipsius animum ad Tem-
 perantia, frugalitatis omneq; virtutis genus sacerrimi Spiritus
 operatione ita accendi indes, ut nihil in vita suscepturus, nihil
 probaturus videretur, nisi quod piû, rectumq; esset, & ad divini



Verbi normam congrueret. Hoc in cœpto prorsus laudabili con-
stitutus, vitam, ut dixi, opinione celerius deposuit, animamq;
Christi sanguine expiatam piè reddidit, Inclyto ac Celsissimo
Heroë, JOHANNÉ GEORGIO, fratre, rerum gubernacu-
la capessente: Quod ipsius Celsitud. ac Ditioni universa auspi-
catum ut sit, DEUM, per quem Principes imperant, & potentes
justa decernunt, intimo cordis affectu precor, Vota ad DEUM
juxta Psalmi LXI, filium nuncupans humilimo pectore.
Exaudi Deus deprecationem meam, intende ora-
tioni meæ (Deus Jehovah, cujus aures ad piorum preces in
spiritu factas nunquam non patent: annue queso deprecationi
meæ, considera ac cognosce propitius, justa peti, atque hujusmo-
di res, quæ in sanctissimi nominis tui gloriam, ac Principis alio-
rumq; decus atque emolumentum cessuræ sunt) A finibus ter-
ræ ad te clamavi (Tu quidem Jehovah in altis habitas, lu-
cem tenens inaccessam, ac creaturis omnibus imperviam: At
non dedignaris tamen in eos respicere, qui aut suis ejeti sedi-
bis, procul à sanctuario tuo, inter homines non optimos versan-
tur: vel certè in terris degunt, minimâ & abjectissimâ mundi
parte, longissimisq; à cælo disclusa tractibus, in quâ inopem
traho vitam, nec manentem civitatem habeo, superna ob id
querens ac cœlestia, ubi eorum, quæ creduntur, numeris omni-
bis consummata ac beatissima erit perceptio) dum anxie
tur cor meum (meum, Domine, est orare: ingens enim pectō-
ris angustia, ingens horror ac trepidatio, ingens periculorum
magnitudo: Tuum est, ô Jehovah in excelsis Deus, in an-
gustijs constitutum ac curis obrutum misericorditer respicere:
Neque enim alius præter te, qui perfugium sit periclitantibus,
aut preces invocantium exaudiat: Tu, tu solus es, qui labo-
rem consideras, soli tibi derelictus est pauper) In petram ex-
celsam



celsam deduc me (jaceo Domine, ac vermiculi instar humi
 serpo, spretus, relictus, contemptus ab omnibus, qui me aborti-
 vum, imò vix scintillulam censent, ac risui habent, vitæ ac for-
 tunis meis insidiantes: Hic nisi tu curam mei agas, locoq̄ tuto
 ac sublimi repositum alarum tuarum umbrâ protegas, actum de
 me est planissimè: Homo enim sum infirmus: me itaque im-
 bellem ac frustra in se opis ac presidij aliquid quarentem in lo-
 cum excelsum ac munitum deducito, quò alioqui per infir-
 mitatem pertingere ac penetrare haud possum) Quia factus
 es spes mea, turris fortitudinis contra inimicos meos
 (at unum id me recreat, quòd te mihi hinc inde jaçtato,
 curis fracto ac penè naufrago perfugium, adfliçto solatium,
 periclitanti auxilium constituisti, quo fretus nec Satana
 rabiem, nec inferorum portas, nec Mundi tumultuantis sa-
 vitiam, qui me extinctum cupit, pertimesco) Inhabitabo
 in tabernaculo tuo in secula (Id verò non carnali aliquâ
 fiducia aut ceca animi presumptione sic eventurum spero, sed fi-
 dei ω λ η θ ρ ο ε ι α, quæ me sacerrimus tuus Spiritus ut vivum
 Ecclesie membrum cælius illustravit, cujus etiam tanta in me
 innovando vis ac vigor est, ut cunctis diebus vitæ meæ servus
 tuus ac civis Ecclesie, quæ domus & tabernaculum est Dei vi-
 ventis, mansurus sim) Sperabo in velamento alarum tua-
 rum (Tantum igitur abest, ut de paterno tuo auxilio ac prote-
 ctione dubitem, ut potiùs animo obfirmato credam, me implu-
 mis avicula instar sub umbra alarum tuarum, hoc est, prote-
 ctione divinâ tuo ac suaviter delitescere: Tu, tu enim Jeho-
 vah spes mea ac turris munitissima adversus hostes, qui me in-
 sectantur) Quoniam tu Deus exaudisti orationem
 meam (Idq̄ cum semotâ dubitatione firmissimè persuasum
 habeam, exauditum me spero, fretus infallibili promissione tuâ,




qua dicis, priusquam clament, ego exaudiam, adhuc illis loquentibus annuam: Neque enim in perpetuum traditur oblivioni pauper, spes miserorum non peribit in aeternum: Quin clamavit pauper iste, & Dominus exaudivit eum ereptum ex cunctis tribulationibus) Dediti hereditatem timentibus nomen tuum. (Nec mirum est, animo Deum in me esse benevolo: Nam & in filium me suscepit Messiae beneficio, cuius sanctissimo merito fides, res, spes mea, tanquam solidam salutis petram nititur, ac propter hanc yohannis heres sum bonorum caelestium, quorum ineffabilis erit jucunditas: quanquam & in hac vita caducam & fragili beatorum vitam & purissimas voluptates gustare incipio: Idem ille Deus multum misericors Principem nostrum Regni illius, quod familiae huic debetur, heredem constituit, Id quod calcar mihi subdit, ut & petam a Deo plura & ab uberrimo liberalitatis ac munificentiae fonte quidvis expectem.)

DIES SUPER DIES REGI ADIICIES
 (Hoc igitur petitionis meae caput, hac summa est; Principem nacti sumus (Iehovah Deus) virum, qui ingrediatur & egrediatur ante nos, qui educat & reducat nos, ne sit populus Domini sicut grex ovium sine pastore: Tu igitur, o Deus, qui vita nostra es, & dierum nostrorum longitudo, concede propitius, ut in multam aetatem vivat, floreat, ac felicibus utatur rerum successibus: ut quod pie defuncto detractum: id salutaris hic Princeps vivendo suppleat, ab animi iuxta & corporis ac fortunae malis potenter ab se assertus & vindicatus)

ANNOS EIUS USQUE IN GENERATIONEM ET GENERATIONEM.
 (Idem effice, ut annos permultos numeret optabili prosperitate: cumque brevi admodum limite circumseptus sit vita nostra terminus, alijque post alios e vita paulatim exeant, adeo,


ut fer-




ut fermè tricesimus quisque annus novam hominum progeniem
 afferat, fac Deus, ut tuo protecta ac suffulta scuto vita Prin-
 cipis, in annos plurimos prorogetur, ut videat filios filiorum,
 tantâq; in se bonitate, tam hoc, quam futuro seculo gaudeat)
 PERMANEAT IN ÆTERNUM IN CONSPECTU
 DEI (ita præsit muneri suo, ut tibi gloriosa, civibus felix,
 diuturna ac prospera sit ejus gubernatio, illud animo evol-
 vens, te inspectante geri omnia, cui etiam exacta suis tempo-
 ribus administrati muneris reddenda sit ratio: Fac igitur,
 ut præ oculis te habeat assidue, unum te spectet, te ducem
 ac directorem sibi constituat, tibi atque arbitrio tuo totum
 se tradat, à nutu denique & voluntate tuâ in verbo revela-
 ta sic pendeat, ut intrepidè ad thronum Gloria tue accedat,
 ac jucundum illud acroama audiat: Euge, serve bone & fi-
 delis, in paucis fidelis fuisti, super multa te constituam, in-
 gredere in gaudium Domini tui) MISERICORDIAM
 ET VERITATEM PARA, QUÆ CUSTO-
 DIANT ILLUM (Cumq; à Domino dirigantur
 gressus viri, nec quisquam reperiatur, qui intelligat viam
 suam, tu Domine gratia tue aurâ præsto sis Principi, ut
 Spiritus tui ductu rectè ambulet, aggregans semetipsum po-
 pulo Dei Abraham: Ecclesiam, Academias, Scholas re-
 ctè constituat, Res verò civiles ita sibi cura ac cordi esse
 sinat, ut locis omnibus vigeat Iustitia, floreat pax alma,
 suum capiant incrementum studia, crescat publica hone-
 stas, ac unusquisque sub vite ac ficu sua æconomica offi-
 cia exercent rectâ voluntate & conscientia: Quam ad-
 rem Principi Misericordia & veritate opus est: Nam
 ut Messia regnum Misericordia & veritate nititur, qui-
 bus custodibus non tuti solùm, sed & beati sumus: Sic

isdem

*ijisdem virtutibus stabilitur Regis thronus: Hæ ipsi satellitium
 sint, hæc arx & tuta munitio, quâ facile quibusvis periculis
 superior evadit. Sit igitur in Justitia clemens, in clementia Ju-
 stus, veri rectiq; amans: eorum, quæ justa, æqua ac recta sunt,
 tenax, legum observans, constans, fidus Deo, fidus Imperio &
 Casari, fidus civibus ac sibi ipsi. Cumq; sine Deo bonus nemo esse
 queat, tu bonitatem, fidem, clementiam, veritatem, constan-
 tiam, animi magnitudinem, justitiam, sapientiam, & quæ præ-
 terea ad res bene gerendas necessaria sunt, abundè concede: A
 te enim propitius ò Deus, sunt omnia, ad te, boni ac boni omnis
 fontem, recta quæ sunt, redeunt, refluant ac feruntur omnia:
 Utq; generationum multarum fons & causa Sol est: Sic tu ò
 Deus omnium gratuitarum actionum fons, caput, origo. Influe
 igitur in Principis animum bonitate tua, ò boni omnis largitor:
 sic enim ad Ecclesiam, sic ad cives tua effluet bonitas: Sic habi-
 tabit in terra gloria tua, sic Misericordia & Veritas obviabunt
 sibi: Sic Iustitia & Pax osculabuntur se, veritas de terra orie-
 tur, & de cælo Iustitia prospiciet, ut det Dominus benignitatem,
 & terra nostra det fructum suum, ut Iustitia ante eum ambu-
 let, & ponat in viâ gressus suos, Psal. 85.) Sic Psalmum di-
 cam nomini tuo in seculum seculi, & reddam vota mea
 perpetuò (Sic ò Deus tuas in perpetuum decantabo laudes,
 gratias indefinenter agens, quòd non irrita cadere voluisti vo-
 ta mea: Perpetuò, inquam, celebrabo te: Nam & bona, quorum
 heredes in cælis nos instituisti, perennia sunt, ac finis expertia.
 Sic eveniat ò Deus, naturâ & animo nobis Pater, cele-
 brande cum Filio & Spiritu sancto se-
 culis infinitis.*



Græca




Græca hinc inde inspersa sic accipiantur.


Εὐτυχία Φαύλων τῶν δαιμόνων συμφορὰ τῶν ἀνθρώπων,
 (Epulum malorum geniorum sunt calamitates hominum)
 κακότης (malignitatis, improbitatis) τῆς ἑπιχαιρεκακίας
 (gaudij ex aliorum miseriis concepti) πατρὶ δὲ γηράσκοντι νέον
 δέν (Parenti jam senescenti novum robur (ful-
 crum) sunt liberi) εὐφροσύνη (ingenium, indolem) disciplina σω-
 φρονομία, &c. (vide interpretationem in contextu) φιλόσοφος
 (liberorum amans) ἀνάλυσις (dissolutionem, migratio-
 nem: Plato δ' ἀποδημίαν vocat) ὑποστάτης (auxiliator, defensor:
 Præstitem Latini appellant) ἐργοδιώκτης (operum directorem,
 monitorem, (b. ad peccandum: allusum ad illud Chrysofomi:
 μέγα ἀγαθὸν τὸ ἐπιγνώσκειν τὰ ἀμαρτήματα, ἢ μνησθεσθαι αὐ-
 τῶν διηνεκῶς, utile admodum est agnoscere peccata eorumque
 assidue recordari.) ἀρχὴ πολιτείας ἀπάσης νέων τροφή (cujus-
 vis administrationis initium (fundamentum) est puerorum
 educatio) ἐνωθεμελίωσις βασιλείας τῆς φιλοσοφίας (conjun-
 ctum cum regia potestate esse oportet sapientiæ studium) θεό-
 πνευστος (divinitus inspiratum) σπῆρα (præmia quæ liberationi
 debentur: dicuntur & anathemata: Herodoto ἀνακείμναι)
 ἀπηλθροκότας (qui dedoluerunt, nihili facientes aliorum moni-
 ta, παρ' ἑδὲν ἠγέμενοι) ἀσπασίαν (vulgò, sparsim) θεάματα (spe-
 ctacula) πλήρωμα (plenitudo) ἀυτοκράτορας (Imperatorem s.
 Regem, qui plenam habet rei constituendæ potestatem, nec ab
 alio pendet) χαριστήρια (gratiarum actiones, Gratiarum do-
 na) ἀληθοφροσύνη (plenam ac certam apprehensionem) ἀσπασί-
 α (lapsus, errata) ὀρθὰν τῶν ναῦν (clavum rectum tene-
 re, Latinus dicit) ἐμόψηφοι (eiusdem sententiæ) σὺν θεῷ (cum
 Deo, Deo juvante) δεῖ τὰς νόμους κτ' ἢ δεικνύειν (Leges
 juxta virium facultates ferre oportet, hoc est, spectandum in-

℞

legibus,




legibus, quid valeant humeri, quid ferre recusent) παρρησιαστ
 κότερον (liberius, licentius) κειμήλιον (preciosa suppellex) λό-
 φος ἐπὶ τῆς κεφαλῆς (apex, crista s. galerus in capite) χευσθῆ
 ἦλος (vide interpretationem eo ipso in loco) σκοποδασυπυκνό-
 τριχας (ibidem) ἰμακαρίτης (beatus, beatæ memoriæ) νομο-
 φύλακας (Legum præfides s. custodes, qui in hominum mores
 & facta inquirebant: Tales Romæ olim Censores.) γνήσιοι (ve-
 ri, genuini, synceri, quales apud Græcos sunt εἰλικρινεῖς) In
 Epistola dedicatoria: αὐτόπτης, (spectator oculatus testis) αὐτή
 κοσ (auditor) διέξοδον (discursum) εἰς τὸ νειθετεῖν σοφοί, &c.
 (ad corrigendum sapientes (oculati) ipsi verò
 allucinantes minimè animad-
 vertunt).



Errata





Errata sic corrigantur.

Pag. 8. linea 10. ipsis. 14. 27. verè. 56. 23. suaderent. 69. 6. Princeps. 79. R.
quonquam. 88. 13. odoratissimi. 105. 1. exauctoratis. 109. ult. ulla. 114.
13. Pacis. 115. 3. praefecturas.

F I N I S.



218

ασι
λο
σ8ε
κνó
μο
ores
(ve
In
υτή
cc.
ata
3303

~~2~~
C. 3159^o 047

F I N I S



me

YD77



ULB Halle

3


004 788 834





babend
nium,
parte co
nomine
LYCA
lici mi
erer.
seges à
ret, qu
rantur
ferre, q
fuisse
S U C H
C A R P
roitag
gerit,
jure qu
secum
de M.
tissim
qui O.
les ac
gandi
sissim
gloria

ores, inge
nnullâ ex
tam. Quo
eatam Po
αιάλωση αι
is, constitu
omiliarum
suppullula
commemo
postremas
καὶ αὐτήκοος
gis deq, Fe
tis P O L T
A T A. Spe
otum perle
n, quàm quo
im, ingenuè
arrationes
io I. lauda
scripte, ijs,
dprimè uti
jam aggre
r iste, in cel
I. laudem ac
i Electoris,
Domini



KODAK Color Control Patches

Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Inches

Centimetres

